

ntegram hanc Orationem cum Latinam proprie habita fuerat  
manicam sermonem translatam inferuit D. Caesar Gottlieb Lindner  
scilicet Umbrianum Ruffinum Martinum Orationem Tobiae Godi et Syntetham  
Laudatio dei Hirbergs 1740. 8.  
14

## Honori & Memoriae

V. CL.

# MARTINI OPITII

paulò post obitum ejus

A. M D C. XXXIX.

in Actu apud Uratslavienses

publico  
solemniter dicta

à

## CHRISTOPHORO COLERO,

Præter continuam Opitianæ vitæ narrationem complectens multorum quoque Principum atque celebriùm Virorum, cum quibus Opitio consuetudo & amicitia fuit, memorabiles notitias.

Publici juris fecit

Melchior Weise Greiffenbergensis-Siles.

---

LIPSIAE,

Sumptibus PHILIPPI FUHRMANNI

imprimebat JOHANNES WITTIGAU

A. M D C. LXV.

VIRIS  
*Magnificis, Nobilissimis, Strenuis, Am-  
plissimis, Dominis*

Dn. CHRISTIANO HOFMANNO ab  
HOFMANSWALDAU, Sacrae Caſareæ Majestatis Con-  
ſiliario, Reip. Vratislaviensis Senatori Consulari, Scho-  
larum Praefidi, & Rei bellicæ Commissario ubique  
splendidissimo:

Dn. JOHANNI BURGHARDO à Löwen-  
burg/ in Grünau:

Dn. HENRICO MARCO à Pein & Wech-  
mar / in Groß-Sirdanig & Wessig:

Dn. FERDINANDO à Modrach/ in Nathen/  
Hermansdorff und Tschirna.

Dn. ADAMO CASPARO ab Arzat & Groß-  
Schottkau / in Born / Zweibrödt / Blankenau / &  
Schükendorff.

Eiusdem Reip. Senatoribus Gravissimis, Viris de  
Patria præclarissimè merentibus,

*Dominis & Patronis Opt. Max.*

Memoriam Opitianam eâ, quâ debet, cum  
observantiâ offert

*Nobilissimorum ipsorum Nominum Cul-  
tor devotissimus*

*Melchior Weise.*

\* \* \* \* \*

*Programma Invitatorium ad Actum Schola-  
lasticum de antiqua & nova Germa-  
norum Poesi.*

Lectori Germanicæ Linguæ Studioſo

S. D. P.

**O**rnelius Tacitus, hominum, morum ac temporum prudentissimus, ex veri tripode quā Delphicus quidam Apollo ita respondet : <sup>a</sup> Rebus <sup>a 3. Annal.</sup> c. 5. cunctis inest quidam velut orbis, ut, quem admodum temporum vices, ita morum (addo & studiorum) vertantur; nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque ætas multa laudis & artium imitanda posteris tulit. Ut enim nemini hominum, ita & nulli atatum veritas soli occupata, nec via ex novo aliquo invento querendi famam ex omni arte ab antiquis quidem anticipata, præclusa est, multumq; materiae nobis & posteris nostris relictum est, quācum antiquis certare arenā, & vincere palma in medio posita sit. Dicendum quidem, scribendum, sentiendum cum sapiente & docta antiquitate, sed tamen, ne in sensa & verba sapientis illius Magistri serviliter juremus, providè caveamus. Ab Oraculo itaq; hoc effatum Romanis sapientis manasse existimemus :

<sup>b</sup> Non negaverim, fuisse veteres alti spiritū viros, &c. ut Senec. E-  
ita dicam, à Diis recentes : neque enim dubium est, quin <sup>b</sup> p. 90.  
meliora mundus nondum effœtus ediderit : ingenia tamen omnibus consummata fuisse pernego. Quis enim medio-

A

cri-

triter etiam hujus placiti intelligens pertinaci ausu Johanni  
Barclajo florentissimo hujus seculi, ac in comparationem antiquo-  
rum exorto Scriptori obstrepere ausit, in hanc sententiam potissi-  
mum differenti: Omnia secula certum suum ac peculiarem  
genium habere, qui mortalium animos in certa quædam  
inventa & studia infletere soleat: modo in barbariem  
homines nasci, post facilitioribus animis mansuescere, & post  
secula aliquot ad stipatum primâ caligine ingenium redi-  
re: orbemque sèpius cultis hominum moribus enituuisse,  
subsidentemque deinde industriam velut quadam nube  
subductam esse. Hi variantes & mutabiles saeculorum genii  
Græca & Romana Rerum publicarum per vicissitudines tempo-  
rum, incrementa, decrementa & recrementa sua tam morū quam  
studiorum, ex divina dispositione alterantur, diligenter hujus rei  
inquisitori facile patet. Sed post Trajani tempora cum incli-  
nante magis magisque imperio ingenia & studia simul deteri &  
deflorescere cœperunt, donec tandem Oriens totus eum Gracia sede  
illa scientiarum antiqua & matre ingeniorum fœundissima, in  
servitutem Turcicam cum jactura irreparabilis illius thesauri  
excederet. A quo tamen servitutis jugo in solarium tantæ jactu-  
ra, & salutem Christiani Orbis, extorres quidam ingeniorum &  
eternitati educandorum nati Magistri, ut tertius aliquis Cato re-  
staurant Romanæ Reipub., ita bi litteris in Italiā transfe-  
rendis cælo quasi lapsi sunt; ex quorum Scholâ, tanquam ex  
quo Trojano, tot magni viri & Praeceptores generis humani tan-  
quam Coloniae bonis mentibus excolendis receptæ, insinum Medi-  
æorum Principum, & præcipue Leonis X. Pontificis Maximi ex  
ea familia bono renäsentium litterarum in id honorum fastigium  
evecti ceciderunt: sub quo Principe in Italâ Græca & Romana  
studia plausulis seculis tantum non emortua spiritum & sanguinem  
excitatibus undique ingenios receperunt, Cuius cultura & poli-  
tura

eura gloria non intra solius Italia terminos se continuit, verum etiam trans Alpes in Galliam, invitante Francisco Rege I. hujus nomenclationis singulari tum temporis Evergeta, transvolavit Germanos verò priscos Tacitus, Romanus quidem homo, sed monum nostratum priscorum diligentissimus observator. Et aquifimus censor, litterarum secreta ignorasse, nulla etiā suo ipsum litterarum monumenta fuisse, affirmat: <sup>a</sup> Sed tamen idem etiam <sup>d</sup> De morib. Germ.  
 Scriptor noster, primigenios nostros Majores eo laudis elogio ho-  
 nestat, <sup>e</sup> nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse: <sup>f</sup> e 13. Annal.  
 carminibus antiquis (quod unum eis memoria <sup>c. 19.</sup> Et annalium genus  
 fuisse perhibet) heroum suorum gesta celebrasse, ac in prelum itu-<sup>c. 54.</sup>  
 ros illo cantu sibi animos, futura pugna fortunam auguratos fu-  
 isse. Quicquid sit, tamen ex genuina hostiei praecoris confessione  
 priscos nostros Germanos, utut magis Enni vocabulis armipoten-<sup>f</sup> De mor.  
 tes quam sapientipotentes, tamen tinctos, si non imbutos, atq; <sup>Germ. c. 2.</sup>  
 bonarum artium ac nominatim Poeseos non fuisse planè rudes ac  
 ignaros; sed potius more bellicosi Populi ex nimia sapientia mo-<sup>g</sup> Agric.  
 dum tenuisse. Eo enim tempore, quo Romani priscos gentis nostræ  
 Patres armis tentarunt, Poesen in usu fuisse, idem Cornelius  
 noster, suis negligentiam exprobans, prodit; ubi de Arminio li-  
 beratore à Romanis Germaniae, insidiis nostrorum, nunquam ar-  
 mis victo, ita scribit: <sup>b</sup> Canitur adhuc barbaras apud gentes; <sup>b</sup> Annal. c. 40.  
 Græcorum Analibus ignotus, qui sua tantum mirantur: <sup>c. 88.</sup>  
 Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus,  
 recentium incuriosi. Porro hanc studii gloriam ante hos octin-  
 gentos ac plures annos, ante Et post tempora etiam Caroli Magni,  
 viguisse, constat ex Melchioris Haiminsfeldii Golda-  
 sti antiquitatum tam exoticarum quam Germanicarum  
 experientissimi Paræneticis: Wilerami in Canticum  
 Canticorum Paraphras, quam Paulo Merulæ Co-  
 smographo illi celeberrimo debemus; atque ex incer-  
 ti cuiusdam Teutonici Poetæ Rhythmo Germanico

de S. Annone Coloniensi Archiepiscopo ante hos quingen-  
 tos aut circiter annos scripto: quem MARTINUS OPITIUS  
 singularis vernaculae lingua illustrator ae Poetice vindex primus  
 ac princeps, paullo ante fatalem morbum, tanquam cygneam can-  
 tionem, Animadversionibus illustratum, ineditum antea, Ger-  
 mania sue in arctissimum studii pignus ac ultimum Vale com-  
 mendavit. Plura hac de materia verba facerem nisi nunquam satis  
 laudati viri, Goldastus, Merula, Taubmannus, Opitius &  
 alii eam mihi gloriam praecepissent. Sed quod Germania sequio-  
 ribus tot etatibus veterem illum Musæ sua genium non continua-  
 verit, ac in meras nugas & deliramenta degeneraverit, causa est,  
 tum fatalis illa, ut aliarum rerum ita & politur ac barbarie cir-  
 cumvolutio at periodus, tum quod dux et auctor defuerit, qui anti-  
 mosè illud Augia stabulum, clavā, ut sic dicam, masculi ingenii &  
 spiritus Hercule à purgaret. Multi quidem votis & suspiriis ac que-  
 relis stuporem illum obtusum & supinam inertiam detestati sunt:  
 alii etiā erubuerunt & indignati sunt: nemo tamē seriō ac bona fide  
 de vindiciis tanti amissi ornamēti cogitavit. Sed gloria hac quanta  
 quanta est Opitio ad illustrandas litteras ac Linguam nostram  
 cœlitus quasi missa, unitè reservata est. Quamobrē cum Graci En-  
 cyclopediam & orbem scientiarum & artium suo; Romani illo-  
 rum amuli suo; ac hodiè Itali, Galli, Hispani, Angli & alii suo  
 quisq; idiomate prodiderint; cur nos etiam sermone patrio animi  
 sensa exprimere pudeat & pigeat? Majestatem(ut alia prater-  
 eam) ut Reipub., ita etiam Germanicæ lingua, si quis alias Cæ-  
 sarum Germanorum summam conciliavit Rudolphus I. Habs-  
 burgicus, ille Augustalis & Archiducalis Domus Austri-  
 acæ (quam ut DEUS sator & stator Imperiorum nobis ac seræ  
 posteritati florentem conservet, fideles subditi communia vota me-  
 ritò concipiimus) progenitor. Is enim Imperator præglori-  
 osissima memoria in Comitiis Anno Christiano cl. CCLXXII.

Norim-

Norimbergæ habitis cum unanimi omnium Imperii Ordinum consensu, edicto publicè sanxit, ut deinceps in curiis, tribunaliis, contractibus non alia quam Germanica lingua admitteretur. Quod non tam ideo factum, ne qua fraus fieret contrahentibus, Latina Lingua omnino expertibus, quam potius ea ratio sapientissimum illum Augustum incitavit, quod hoc ipsum ad publicum Germanie decus pertinere existimaret, ne peregrinum idioma Patrio preferri pateremur. Quod observatum ex Christophori Lehmanni Spirensi Chronico, cum sequenti il. 2. c. 45.  
ex Christophori Forstneri insignis nostra etate Politici & l. 4. 1. 2. &  
nunc Cancellarii Würtembergici<sup>k</sup> Notis in Tacitum Politicis l. 5. c. 107.  
excerpto, vir multijugæ ac summæ eruditioñis & eminentis dignationis, NICOLAUS HENELIUS J. C. k. p. 160.

ingens præsidium ac dulce decus meum,  
monitor opportunus mihi suggestit. Is enim in schedis suis Miscellaneis, quas Otium Anni xxxiii. Vratislaviense inscribit, indeditis adhuc sed publica luce dignissimis, ex Forstnero hæc allegat: Apud Bohemos & Moravos legem esse, ne cui Illustri vel Equestri ordine nato cujusquam hereditatem cernere, prædiave possidere liceat, nisi linguae Sclavonicæ perito. Hæc Nestor ille Vratislaviensis.

Hoc laudabile institutum utinam hodie apud nos religiosius, quam fieri solet, observaretur, nec vile crederemus, quicquid domi nascitur, pudendo nobis exemplo: cum lingua Germanica maiestate, ubertate, splendore rerum, & verborum, ac totis viribus, nervis ac toris orationis sibi constans nulli exterarum secunda esse posset. Quemadmodum verò Germanica Poesis, ac universa prope lingua ex fatali superiorum seculorum inertia instar anū pannis annisq; oblitæ inornata jacuit, ita nostra etate instar Mænadir insanæ, aut Baccha bacchantis, aut meretricis prostituta, tot exoticis verborum & formularum inquinamentis,

versu: olor, et ridiculis quasi monstris picta incedit; iudicio Matthiae  
 Berneggeri sapientissimi olim Thaletus mei. Qui summus vir quan-  
 ta cum indignatione stultam novorum hominum histriioniam de-  
 testetur, & quanti Opitii, severi in hanc morum ac lingue corru-  
 ptelam Aristarchi virgulam censoriam extulerit, malo lectorem  
 ex ipsius Doctoris mei conceptis verbis, quam meis cognoscere. Nos  
 Germani (inquit) Germanicam linguam, quæ aliis quibus-  
 que selectissimorum verborum splendore, pulcherrimis  
 & admirandis periodorum ductibus, & universa orationis  
 elegantia non cedit, ipsimet numeramus in postremisimis:  
 nec excolumus non modo: sed & exoticorum verborum;  
 ut putamus, emblematis, ut res est, inquinamentis mirificè  
 foedamus. Dicas in sentinam durare hanc linguam, ad quam  
 reliquarum fordes torrente promiscuo deferantur. Jam à  
 Latinis, jam à Gallis, Hispanis etiam ac Italibz mutuamur,  
 quod domi longè nascitur elegantius. Horum hominum  
 sinisteritatem, in Aristacho suo multo sale perfricuit MAR-  
 TINUS OPITIUS: quem Germaniz VIRGILIUM posteritas  
 dicet. Quanquam nec nostra sic incuriosa suorum ætas  
 est, ut non animadvertis exoriens hoc novum sidus. Hæc  
 ille verè vaticinatus est; quo Catone contenti eritis, enjus iudicio  
 si quequam adstruxero, nugas egero. Hoc die, quod Opitio  
 divinitus dato duce & Coryphæo, hactenus nostris temporibus  
 decantandis decora ingenia, per vestigia Opitianæ gloria grassan-  
 tia & in publico fame theatro sese ostendentia, non defuerint.  
 Cum igitur ista fax honestarum mentium emulationis ardor no-  
 stram quoq; juventutem non mediocriter accenderet, serius eram  
 bortator & manuductor nonnullis non contemnenda expectatio-  
 nis alumnis, ut de Germanica Poësi Veteri & Nova pro medio-  
 eritate ingenii sui, prosa, vorsa, Gracca, Latina, Germanica

oratione aliquid differere conarentur, atq; eateceasione saltuarium  
& summatum OPITII recordarentur, Sanè melius

Nemo OPITIUM referre quirit ac OPITIUS.

Sed cum Adolescentes illi ex imprudenti quadam pietate in mare  
illud Optianarum laudata se immersissent, veritus ego, ne virtutem  
ac gloriam divini hominis culpa vernilis ingenii magis detererent,  
quam amplificarent, onus illud, tam teneris adhuc cervicibus ægrè fe-  
rendum, meis humeris imposui; atq; Manibus mei QVIS, ac dum vive-  
ret, amicissimi, ex communī Patriæ jure ac commercio similiūm studi-  
orū, citra ambitionem, sola pieratis professione Laudationēm qua-  
lemcunq; & à bonis & æquis arbitris facile excusaudam consecravi.  
Non verò tutius & securius in portu Judicij publici, quam vestra, Ma-  
gnisici, Noblissimi, Amplissimi, Reverendi, Excellentissimi, Doctissimi,  
Clarissimi Viri, Mæcenates, fautores, amici, indulgentiā, faventiā &  
Iubentiā sublevatus acquiescam : quos submisè obnoxie & humani-  
ter invito, ut pro amore & studio in Germaniæ libertatem, fidem, lin-  
guam & decus atque ejusdem Vindices acerrimos huic rerum scenaë  
interesse, atque Dissertationes nostras æquis auribus & animis accipere  
dignemini. Vos enim hoc facto Liviani illius sensi exemplum secuti,  
qui ipsimet vos olim alumnos & adolescentes gloriæ seniorum suc-  
crevisse probe meministis. pro summa æquitate vestra sureulos illos  
ad vestram virtutem & famam consurgentēs lati aspicietis : imo  
Doctores pariter & Auditores hujus Gymnasii, ubi hac mediocria &  
parva ingenii pericula si non laudari tamen nou improbari, senseri-  
mus, ad majora enitendi calcar & stimulum inveniemus. Valete Mæ-  
cenates. Fautores, Amici, & me qualemcunq; Choragum cum  
choro isto bonarum mentium silentio & faventia fovere  
& attolite. P. P. IV. ID. IXBRES Propriidiè MAR-

TINALIUM Anni Christiani elo Iec xxxix.

In

In Panegyricum Opitianum  
Clariss.

Dn. CHRISTOPHORI COLERI.

εργοφ. α.

**Α**γνὸν ὑδωρ, τὸ Σαθύζωναι ιόρεα περ  
Μναμοσύνας ωὐρὰ πλαξίπποις πύλαις  
Κάδμοι ἀντεῖλαν, λιπαρᾶς τὸ μὲν ὕδας  
Επλάδ<sup>Θ</sup>, ἐπτάπυλον Θήβαν, πίσει.  
Δαμάτερ<sup>Θ</sup> θνητα μάν  
Εὐρυχάίταν χαλινοηρέτοι πάρεδερν τέκεν ἡ  
Ηρακλείοισιν γονάῖς.

ἀντιτερ. α.

ΑἱΦιτερύων<sup>Θ</sup> ὅτε Αἴλιμάναν μετῆλθεν  
Ζεὺς μεσονύπτι<sup>Θ</sup> ἡ Σπαρτῶ ἀνα-  
μαντολογχᾶν. Αἴλα τί μαψιλάνας τρίς  
Τετράπις φεύδεα Θήσω; Τίνει, ἀν  
Τιμᾶς Ελινωνιάδων  
ἄξω ἄλλη, μή ποτέ μοι νεμεσάσται ιερὸν,  
Πίνδαρ<sup>Θ</sup>, Μοίτας σόμα.

επωδ. α.

Πάτερ τέως Φθόγγως ξενικῶς κομιδῇ  
Ἡδασατο  
Ἡδὲ σάρωμά γ' ἐπείσαιτον  
Μεγαλοθενέϊ χρυσῷ σφέω,  
Χειμερίας Βορέαο  
Πηγαίδας παμποεΦυρέοις

Αντίσ.

Αἴτιος ἡών, αἰλούρεια Βλαυτέ, ὄλη. τὰ αὐτάκια εἰσται  
Φηρῶ ταφένερι.  
ν' ὄμω. Σαφὲς τειμαίρεται  
Δὲ χεῖμα γέπιβδα. Λαβῶν γαρ οὐ φέρει  
Πατριανή Φόρμιγγά αἰοιδῶν

τεφ. β.

Ἀμετέρων πευτανεὺς Οὐπίτιος τε  
Καὶ νεοσιγάλου δύαχνς γλυκὺς κακιός τοτύο  
Μέλεθος ιρητήρ οἱ Κόληρος, ἀγνωστον κωτέ θῆτα  
Εἰς ἔτι πλαγτον ἐπταξεν πᾶς ἐπῶν.  
Ω Τυνδαρίδαι, δίδυμοι  
Φωτέρες, πόλι έξοχα χάρετ' ὀπάσοντες αδεσ  
Ἄγγαρον πυρσὸν μέτρο.

ἀντιτεφ. β.

Παρθενίας ἄτε Ρωμαίω λύρα τε  
Τηια ἔυλυρος, Εὔλησιν δέ τοι πεντένοις ζωκίνια  
Χῖθρος Ασηράδης οι αἰοιδὸς ἐφυ θα. Π Θετένια  
ιτὸς ὅχ ὡς σφετέρα Γερμανία  
Φόρμιγξ πολυώνυμος. Ου  
Γαρ χαμαὶ σιγῇ τετελεσμένον ἐσλόν, ηθάπερ  
ῥῆσις ἔσι, ιρύπλεται.

Ἐπωδ. β.

Τίς ΓΡΩΤΙΟΝ, τίς δὲ ΕΙΝΣΙΑΔΑΝ ἀγνοεῖ  
Ἐρηνη Διὸς; Τίς δὲ ζυγέντα πότμω ΓΡΟΥΤΗ-θρόνος, εἴσιτε τ  
ΡΟΝ ἐπίκλυτον; Η ΒΟΥΛΗΝΗ ΘΑΛΙΚΡΑ οὐ ιονεῖον  
θέντ' ἀρετῇ ἐπιδοξον;

Β

Τὸς

Τάς ιεριτάς πλάντρες σΦετέρω.  
"Εγκλας γαρ αἱμΦ' ἔγκτα ἐπιγυνώμαν, σοΦός ε  
ΑἱμΦ' ἐννόοιο.

Ως αἱμΦέρει σαΦές φένΘ. Αἴλαστομένα δρετὰ, ως  
Ἐν σχερῷ ιαρπάς ἀργερε

Οὔποτ' ἔδωκεν ἀν: ὅτις δύναται  
τῷ ἑτέων περέδοις πατσαὶς Φέρει φίτην Θεόν  
Δένδρο. Σιγῶ δὲ χερονιώτατον ὄργας  
Φῶς ἑτέρας, διάπειρ ἐιμαρτυρεῖ.  
Αλλ' ᾧ μοι ἔγω, τι δέ τι  
τῷ Βερτῶν, ὅτις δέ τι, εἰν ὅλην γαρ πλερέει  
Οἰχεται ζωᾶς ὄναρ.

Ἀλιπίαν ρ' ἀνέπνευσεν τῶς δέλπιως  
Ἀμέτερος Πρεσβευτὸς ἐνανθέαν Θρόνον οὐκ  
Ἄνταρ ὥσπερ μέλεσιν αἱμΦιέπεσμεν,  
Ως βαθύφεων ἀνήρ, σύμπειρον μένθος,  
Οὕτω καὶ αἵποιχόμδρον  
Αξίως ψρῷος ιόμισας Λόγιος συμπολίταν  
Εργμάτων ηλεῖτῶν θάροι.

Μή ιυρίως ιώμαως δ' ἔτι δὴ Ειάσης  
Τερπνῶς, ἀταρ ΗΠΤΟΡΙ ομρότα φίλεγυς τὸν οὐτόν  
Πάρμον ἀγαλματίαν δεῖ τοῖς ιετυλιπέται ΙΟΦ  
Καναχηδά ιε μίτραις ποιηλας

Ειδός.

Εἰδός. "Ἐπεισὶ σαφέσιν γὰρ  
τὸν ἀΦάντων οὐδὲ. Εἴπι  
δὲ ἴδρις τοῦ Φαντός τὰ σοφία, πάντοτε  
Χλωρᾶς ἔέρσας.  
Ως δένδρος αἴστος εὐθαλὲς  
Τυρεῖν ποτὶ αἴθέρα, ηλενοῖς  
ἄνξεται αὐδρῶν αερθεῖς.

Ἄνδρεὶ παιτῆ καὶ Πολιτικῷ

Εξαιρέτῳ

ΧΡΙΣΤΟΦΟΡΩΙ ΤΩΙ ΚΟΛΗΡΩΙ  
εγραφεν

JOHANNES GEBHARDUS,  
Rector Gymnasi Elisabethani Con-Rector,  
Professor & vicini Templi Biblio-  
thecarius.

αεω.

Laudatio

Honori &amp; Memoria

## M A R T I N I O P I T I

dicta.

**E**gimus alumnos Epicuri Magistri sui, qui summum hominis bonum in fluxâ ac peritürâ corporis voluptate collocarunt, illam verò veram beatitudinem in virtute positam ne primis labris degustarunt, vicesimum cujusque mensis diem suo deliciarum Præceptorî, quod eo ipso in lucem editus crederetur, singulari ex religione aut potius superstitione celebrasse, ejusque imaginem in annulis, poculis, ac aliis utensilibus expressam, tanquam incitamentum quoddam animi gessisse, adeoq; tanto nomini diebus festis cum summâ veneratione assurrexisse. Christiana Antiquitas, ut aliis de Ecclesia benè meritis sacros dies, ita crastinum MARTINO festum esse voluit, Episcopo Turonensem in Gallia, à modestia, pietate & sanctimonia commendabili, ut qui invitus ad insulæ honores evectus, gregi suo devotionis, pro genio illius seculi, regulâ, & exempli sui perpetuâ censurâ benè laudabiliterque præfuisset. Fabulas enim hominum otiosorum de piissimo hoc Præfule traditas, cuius nimirum honori anseres proditioñis pœnas luentes, victima quotannis, more antiquitus recepto, fierent, non moror. Rectius Orthodoxa Ecclesia hoc die memoriam Divi *Martini Lutheri*, qui tanquam Christianus aliquis Hercules Augiæ illud Stabulum in cætu Christiano non sine divini miraculi arguento purgavit, & tanquam com-

communis Germaniae Praeceptor viam monstravit, quā  
 præviā DEI gratia fideque meritum Christi apprehenden-  
 te rectā ad Thronum Misericordiæ, sine ambagibus per  
 tesquā meritorum nostrorum, iretur. Nos verò in hoc  
 ipso gravissimorum Virorum confessu, posthabitatis illis,  
 quos dixi, hæc Martinalia non anserina, sed olorina, Me-  
 moriæ ac Honori MARTINI OPITII Poetæ ac Poly-  
 historis, cum paucis comparandi celebramus: qui in hoc  
 tractu Arctoo veluti quidam Musarum Hercules clavā, ut  
 ita dicam, ingenii sui, eruditionis atque industriæ, barba-  
 riæ literarum & elegantioris doctrinæ, juratum olim ho-  
 stem, per istam bellorum civilium diuturnitatem postli-  
 minio quasi redeuntem, acriter & fortiter stitit ac represit.  
 Is quemadmodum factus ille Hercules exantlatis tot labo-  
 ribus, & proditis tot victuris ingenii fatibus, nuper Ge-  
 dani in celeberrimo illo septentrionis Emporio, ex hoc  
 mundi exilio, cum ingenti Orbis litterati luætu in cœlestem  
 patriam, non à jove factitio illo gentilium Deastro, sed à  
 Christo Servatore generis humani, cui etiam in ultimo vi-  
 τæ articulo verè pœnitens cum lacrūmis animam suam  
 commendavit, assumptus est: docens exemplo suo omnia  
 nata mori, & quo illustriora ingenia, eò esse breviora, ne-  
 que quicquam nobis relinqui præter dolorem ac desideri-  
 um. Me certè duo angunt, ut quid facto opus sit, quid  
 minus, mecum hæream: hinc dolor, quod tanto sidere Patri-  
 am, Seculū tanto ornamento, tanto Patrono me, moderato-  
 re meorum studiorum ac Amico desideratissimo, orbatum  
 esse sentiam; illinc votum, ut dignum tanto Viro præco-  
 nium contingere, cui nunc supremum Christianæ pietatis  
 & popularis humanitatis officium meritissimo suo præstan-  
 dum esset. Sed tale votum quod vix summi hujus Seculi

Oratores, defuncti amici, in Gallia *Grotius*, in Batavia *Heinsius*, in Alsatia *Berneggerus*, in Saxonia *Buchnerus*, in Silesia *Henelius* præingenii & doctrinæ suæ ubertate exsolverent, meam mediocritatem vel potius rēnitatem longè exceedit. Sed velut duo me urunt & suspensum tenent, ita duo pariter in hoc animi angore solantur & reficiunt: Unum est illud, quod licet verba & sensa magnitudinem argumenti non exæquent, in rebus tamen arduis conatus, etiam impar voluntati, aliquod laudis momentum habeat, quodque officiosa pietas excusationem mereatur; alterum vestra æquitas & faventia, tūm in defunctum, tūm in me omnium minimum, quæ me à tanto onere admirationis & stuporis tantum non occumbentem sustentabit. Metellus, qui à subacta Macedonia cognomentum insigne retulit, cum Ei mors æmuli sui ob virtutis & qualitatem Scipionis Æmiliani nunciaretur, deposita omni similitate, quam mutuam vivi alebant, Filios suos, quos in summa jam dignatione & auctoritate florentes vidit, memorabili voce ita allocutus est: Ite filii, celebrate exequias, nunquam majoris Civis funus videbitis. Idem nunc liceat mihi sine arrogantiæ aut adulacionis specie palam affirmare: Viri Silesii, Cives Boleslavienses, vix à Luce Literarum hic loci exorta, vel ætas majorum vel præsens vidit, vel postera facile videbit, præsertim hac Ingeniorum & Studiorum inclinatione, Virum & Civem in suo genere excellentiorem, poeticâ facultate, masculo spiritu, majestate rerum ac verborum, antiquitatis, gentilis & Christianæ, exoticæ & nostratis, historiarum omnium temporum: populorum & locorum, harmonico virtutis & fortunæ concentu maiorem. \* Si gentis dignitas, natale solum & patria divinis animabus honoris aliquid ac yenerationis conciliare potest,

quæ

\* Patria.

15

que Provincia domi & foris extra Germaniam ferè cele-  
brior Silesia, ex qua noster oriundus. Quotacunque enim  
provinciarum nostræ, cœli indulgentia, soli clementiâ, si-  
tùs opportunitate, ubertate frugum & metallorū, urbium,  
arcium & vicorum multitudine, magnitudine & munitione,  
ingeniis, moribus, studiis formâque Reip. comparanda  
est: Olim quidem Majores nostri Martis magis quam  
Phœbi exercitiis dediti, & Enniano verbo, magis bel-  
lipotentes quam sapientipotentes fuere: sed ab or-  
thodoxia fidei Lux quoque litteris & humanitatî in alta  
illorum temporum pace affulsit. Ex quo olim Philippus  
Melanchton æquissimus nostratiū hominum Censor, apud  
*Henricum Ducem Silesiæ Ligium palūm testatus est: Nul-*  
lam gentem plures eruditos Viros in tota Germania habere  
quam Silesios; & paulò pôst: in nulla parte Germaniæ plu-  
res ex populo discere & intelligere doctrinas; nec plures  
ad Poësin & eloquentiam idoneos esse; produxitse eam  
provinciam *Vrsinos, Logos, Rosinos, Langos*, quorum carmina  
doctissimi Viri in Italâ laudassent. Simili pacto nuperis  
annis alias foris Silesios suum ingenium esse dixit; alias no-  
strum cœlum beatissimum ingeniorum patrem apud me  
appellitavit: alias cum juvenem quandam Silesum cuius-  
dam Principis juventuti præficiendum maximè suaderet,  
præferendum esse illum cæteris, vel propter gentem, ex qua  
oriundus esset, cuius rei ipse oculatus testis existere possum.  
Patriam laudare Rethores fusè præcipitint, sed iis, quibus  
jejuna ad differendum materia, aut otii abundantia istud  
permittit aut persuadet. Laudum tamen tuarum campum  
alii & peregrini tutius pellustrent, quibus longè minus citra  
obtrectationem est; quam ut ego faciam, ò dulcissima mea  
mater Boleslavia. Jacent se alia urbes templorū & Curiarū

magnificentia, ædificiorum multitudine, mercatûræ abundantia, civiū hac vel illa civili beatitudine; ego te sitûs commoditate & amænitate ad nemora & plana camporū correctam, aëris salubritate, terre fecunditate, paucis Silesiæ opidis; Claritate vero ingeniorū nulli Silesiæ, paucis Germaniæ civitatibus secundam (quod præfiscini tamen dixerim) esse gratulatione & voto prosequor; quod præcipue foris & domi æterno illo elogio & summâ titulorum prædicari jam tot annis merueris magnorum Vitorum genitrix, educatrix, altrix. Tu ex ignobili prosapiâ oriundum in virtutem altiorem, & ex hac in fortunam eminentiorem extulisti excelsissimæ ac principalis dignationis *Martinum Gerstmannum*, initio Augustalibus Divi Maximiliani Filiis in Studiis præfectum, postea in testimonium grata memorizæ *Rudolfi II.* seriâ commendatione ab Hierarchia electum Episcopum Vratislavensem; ac ut tempora illa permittebant, etiam ante Pontificis hanc electionem approbantis auctoritatem, (quod argumentum est præcognitæ in Viro Virtutis & clementiæ Cæsareæ atque benevolentiæ Procerum in Præsulem propensissimæ) supremæ Provinciæ hujus prefecturæ suffectum. Fuit ille quidem suæ religionis retinentissimus, sed tamen in diversa sentientes non iniquus; quippe Silesiam, utut unum Reip. corpus, non ita pari conscientiæ jure retineri posse judicabat. Egregium hujns equitatis ac moderationis in illo Præsule exemplum videre est, quod *Johannum Bergum* Trium Impp. postea Consiliariū, virum doctrinâ & exquisita experientia inter sui ordinis homines incomparabilem, Patavii in ædes suas amplissimo Fuggerorum illustriū stipendio conductas, receperit. Quem cum assidue quidam hortatus fuisset, ut Romanam Religionem amplectens in patria Canonicatum, ut vocant, hone-

sto

.17

sto studio ambiret, qui gradus sibi foret ad fastigium sedis  
Episcopaloris; se ipsi certe pro amicitia consilio, ope, com-  
mendatione & suffragio non defuturum spondens: con-  
scientia verò renitente monitis illius Consultoris parere al-  
ter non posset; *Gerstmannus* Præsul, quem *Bergius* generis  
nobilitate, & fortassis etiā aliis virtutibus excellentior, sine  
dubio (ut ille ipse confessus fuit) in ambitu honorum præ-  
vertere potuisset, eo animo illum & benevolentia post  
Principatum assumptum, quā privatus, prosecutus est. Nec  
sine piaculo prætereandus *Gerstmanno* tempore superior,  
sed dignitate inferior, functionibus interim Ecclesiasticis  
& Legationibus magnus *Henricus Senftlebius*, Decanus Ec-  
clesiæ Vratislaviensis, & Cancellarius Regis initio Ladislai  
& deinde Imp. *Frid.* III. *Aeneas Sylvio*, postea *Pio II.* Pon-  
tifici Romano, (qui amicum etiam lubenti animo ad Epi-  
scopatum Olomucensem evexisset, si *Senftlebius* modestia pas-  
sa esset) ut patet ex plusculis ad ipsum Epistolis, conjunctissi-  
mus; qui à *Sylvio* præoccupatus erat, ut Cæsari auctor  
suasorque serius foret de recuperanda Constantinopoli, O-  
rientalis Imperii Dominâ, quam illo imperante Turcarum  
tyrannus occūparat. Taceo *Jacobum Senftlebius*, Godinum  
de Boleslaviâ, *Nicolaum & Petrum* de Boleslavia, à patria  
potius quam gente, in meliore quam eruditiore ætate ita  
dictos, quos in fastis Senatorum Vratislaviensium compe-  
rimus. Prætero *Hanevaldos*, *Bartholomæum*, *Carolo Riemio*  
*J.C.* ad aulam Tūrcici Imperatoris, Legato à Secretis da-  
tum, in itinere fato functum, Paulum Fratris in illo itinere  
comitem, qui perlustratis Græciæ provinciis redux, mo-  
dum ex ambitu retinuit, atque Aulicæ vītæ non quidem  
privatam & umbraticam, sed Consulatum in patria medio-  
crem dignitatem, præferre maluit. Simonem transeo, heic

Vratislaviæ cum laude Cameralemi, & benè de Cæfare atque patria meritum. Prætero *Schawverum*, fabri ferrarii filium, devotionis ac prudentiæ prærogativâ inter suos electum Abbatem Saganensem: *Sebastianum Gerstmannum*, JC. & Antecessorem in Academia Viadrina, ac Sereniss. Electoris Brandenburgici Consiliarium: *Jeremiam Gesnerum*, præcipuum Medicum: *Martinum Hilvvigium*, Philosophiæ Professorem Wittebergæ: & quem primo loco laudasse debebam, *Salomonem Gesnerum*, modo laudati *Jeremiæ Fratrem*, eximium illum Theologum, qui initio Vratislaviæ à Dudithio admirando Viro, Filio suo præfetus postea patriæ Scholæ Moderatorem, hinc in illustri Stetinensium Pædagogio Professorem sacrarum Literarum egit; unde ex invidia Aulicorum quorundam, quos de fide suspectos fervido spiritus ac veritatis gladio vehementius perstrinxerat, Stralesundum & exinde Wittebergam cessit, fatis ibi concedens non sine æterno posteritatis elogio, quod fuerit strenuus incorruptæ Augustanæ fidei assertor. Hæc & plura alia Boleslavia sibi, Silesiæ, Germaniæ, sidera produxit, & posteritati Exempla dedit; inter quæ sorte quidem nascendi & fato aut dignatione, nonnullis impar, sed ingenio ac bonis animi, famæque celebritate O P I T I U S eheu noster

— *velut inter ignes*

*Luna minores*

\* *Parentes.* omnes supereminere videtur, \* *Parentes* Defuncti nostri inter bonos ac probos magis quam inter nobiles & claros consendi; quippe illud fortunæ casus, hoc virtutis proprium est. Patrem autem habuit *Sebastianum Opitum*, matrem *Martham Rothmannam*, Senatoris Boleslavensis Filiam. Hanc infanti adhuc lactenti præfestina mors

præ-

præripuit; vel hōc tamen beatam, qūod tantum Cœli de-  
 positum, tantum æternitatis pignus, filium ex sua indole  
 corporis forma ac statu quasi figuratum, ut senes, qui ma-  
 tronam norunt, rei fidem faciunt, terris dedit. Pater hoc  
 amissoscipione & baculo, senectuti suæ ac exilio infeliciter  
 superstes, vir antiquâ virtute & fide, prudentique simili-  
 citate pollens, à filii fama & æstimatione multum favoris &  
 benevolentia non tam apud doctos, quam apud ipsos lu-  
 cratus est Principes & magnates, ut à prudentia tam natura-  
 li quam acquisita satis idoneum censerent priores Patriæ  
 Rectores, quem in senatum eligerent. In quo officio li-  
 cer laborioso & oneroso, ut ratio status exigebat, fidem  
 suam diligentiamque, quantum & quamdiu licuit, ostendit;  
 donec vicissitudini rerum prudentius cederet quam  
 pertinaciter, & frustra, ut alii obniteretur. \* Opitio puero,  
 bella quidem, sed externa, Christiano nomine digniora,  
\*Tempus  
pueritiae.  
 ac à plerisque Christianis Monarchis promota, à pruden-  
 tissimis Viris suasa, contra juratum ac sanguinarium Chri-  
 stiani nominis hostem, Divi Rudolfi II. Imp. & totius Imperii auspiciis, ductu ac armis fortiter ac feliciter gesta, gli-  
 scabant: Sed in Germania tranquilla erat status publici se-  
 curitas, ac mutua partium in conscientia negotio dissiden-  
 tium confidentia & concordia; & in beato hoc pacis sinu  
 studia doctrinarum, efflorescentibus undique per Ger-  
 maniam ac ipsam Silesiam Academiis, Gymnasiis Scholis-  
 que, ut vocant, trivialibus spiritum ducebant, obviis ma-  
 gnis Evergetis, Mæcenatibus & Patronis. Sub hac felici-  
 tate publica Noster quidem natus est, sub eadem etiam,  
 pueritiam adolescentiamque exegit: sed juventus ejus, &  
 quantum virilis ætatis attigit, inter turbas, tumultus, bella  
 transiit. \* Illâ itaque ætate Boleslavensis Schola providâ
 \*Educatio

Senatus cura, à longâ temporum memoria saluberrimis  
 ejus auctoritate Legibus constituta, ac electis per id tem-  
 pus illarum severis Exactoribus, quales nominatim *Helveticus*  
 & *Gesnerus*, cum cæteris, quorum mentionem paulò  
 pòst faciam, firmata: minimè tamen rigidis ac crudelibus,  
 qualem legimus in Chronicis patriæ manuscriptis Orbili-  
 um plagosum vel potius tortorem aut carnificem bonorum  
 ingeniorum, qui conscius sibi tantæ carnificinæ, & fortitu-  
 dinem atque justitiam interpretans, superbo & horribili ti-  
 tulo R E G E M se MARTYRUM turpissem gloriatus est.  
 Hac occasione bonus ille Parens, sollicitus de recta filii  
 Educatione & institutione, utendum ratus, in pietatis mo-  
 rumque domestica curâ præcultum, patriæ Scholæ plenius  
 erudiendum commisit, arbitrans, non sufficere nasci, nisi  
 accederet benè nasci; quod in seminario illo Reip. officina  
 artium, palæstrâ recti, quam Scholam nuncupamus, effici  
 solet. Patri verò de salute tenerrimi sollicito animum e-  
 rigebat, quod ex longinquo Virum tantum, quantū post  
 ea tot annos vidiit (& quem utinam diu oculis & animis u-  
 surpandum ipsi & nobis Deus concessisset) certa quædam  
 signa prævia futuræ magnitudinis pollicerentur. Quæ quasi  
 cunabula & elementa virtutis, animique processu temporis  
 ad summum gloriae culmen perventuri, certo cum naturæ  
 experimento in primis statim annis dant gustum. In pue-  
 ro statim indoles Opitiana exsplenduit, ut qui celeriter ad  
 omnia recta & erecta, ad qnæ natus, & à patre destinatus  
 erat, ferretur. Ingenium facile, promptum, & multa simul  
 ac magna capax, tam quæ Scholæ, quam vitæ necessaria, à  
 puerili ætate discenda sunt; cuius facilitatis & promptitu-  
 dinis indicium fuit memoria, omnia percipiens & fideliter  
 custodiens. Tantus erat in puerō antequam literas nosset,

ardor

ardor descendit, ut viso libro tam oblectaretur, ac alii futuri  
 Martis pulli ad equi adspectum, tubarum & tympani  
 clangorem: & hoc argumento erat, illum fore olim vivam  
 aliquam Bibliothecam, & omnem animi oblectionem  
 posituram in colligendis, volvendisque libris. Quem-  
 admodum verò Themistoclis dictorio ex ferocissimis pul-  
 lis generosissimi evadunt equi: ita Noster venturus in vir-  
 tutis adoptionem, in lubrico pueritiae & adolescentiae, ut  
 ita dicam, freto, exemplo magnorum ingeniorum, titu-  
 habuit, ac semel, ne semper insaniret, insanivit: sed quem in  
 errorum turbine bona mens, succrescens ætas, parentis ac  
 præceptorum monita à ferocia retinerent. \* Opportune  
 tūm ludo Bolesla viensium præfектus erat *Christophorus Opili-*  
*tius Sebastiani* illius frater germanus, Latinæ Græcæque  
 Linguae callentissimus, ac disciplinæ, ejus usum in hac  
 Schola supra laudavi, servantissimus, & in concilianda si-  
 bi benevolentia hominum singularis artifex; sed brevioris  
 ævi, cum fata Virum, patriæ vix ostensum, in primo æta-  
 tis flore inter egregios in recte educandâ juventute conatus  
 præriperent. Hinc non tanquam Patruus, sed verius alter  
 parens, non corporis, sed mentis, non fraterno, sed plane pa-  
 terno amore puerum amplexus, sicut prodixit, ac prima  
 ei pietatis & doctrinæ rudimenta instillavit, donec decurso  
 brevioris vitæ curriculo Lampadem Successori suo ac Civi-  
 paris laudis *Valentino Sænftlebio* traderet, ac quasi moriens  
 illa bonarum mentium examina, formandos patriæ cives,  
 proferenda Seculo ingenia & sidera in manum concede-  
 ret: qui poena & præmiorū indissolubili vinculo juventutem  
 in cursu recti retinuit, ut quæ Rex ille à suis subditis con-  
 juncta requirebat, à suis discipulis & timetur & dilige-  
 tur. Atque ut Socrates sibi satis honori duxit, unicum

\* Præcepto-  
res in Ludo  
patrio.

habuisse Platonem Auditorem, quem pluris videlicet fecit, quam innumeros alios; ita *Senftlebius* hanc gloriam secum in sepulcrum abstulit, quod hoc miraculum & portentum Germaniae primis artibus ac elementis præfixerit; qui etiam lætis oculis hoc recens exortum sidus vivus vidensque usurpavit, ut ipse gaudium suum de educto hoc magno discipulo minor præceptor candide inter amicos confessus est. Tantus inter utrumque mutuus amor ac singularis affectus, ut Patris & Filii nomina charitates invicem reciprocarent. Utique plusquam paternum *Senftlebius* meritum erga se Opitius gratissimus discipulorum, honori & memorie defuncti Præceptoris publicè hac appellandi formulâ testatus est:

*Scribere quòd valui, Pater ô Charissime, vatem*

*Indigitat quòd me publica fama, tuum est.*

*Tu mibi vix puer Musarum sacra sequenti*

*Monstrasti fidâ culmina docta manu.*

*Nunc fileo, & lacrumis, quas solas fundere possum*

*Aspergo tumuli gramina mæstati.*

Quemadmodum vero Præceptores & artifices excolendæ mentis, puerum peculiari curâ habuerunt, raram ejus indolem hortando acuerunt, pro virili suâ principia doctrinæ instillarunt, immò universa transfundere cupiverrunt, suo in docendo abundè officio functi: ita quoque, generosus ille pueri animus se præbuit docilem, acrem, alacrem auscultando, ediscendo, retineudo, fideliter reddendo, interrogando, respondendo, legendo, scribendo, ac se totum ad doctrinam & exemplum præceptorum conformato. In primis puerum laus excitavit, gloria accedit, honor allexit. Itaque ab Antagonista (nam in schola Boleslaviensi crebræ commissiones de prærogativa loci & hono-

ris

ris certantium in alimentum honestæ æmulationis institue-  
bantur) vixus flevit, nec acquieavit, donec victori suum  
locum extorqueret, aut in superiorem amissio eluctaretur.  
Alit enim æmulatio ingenia, & nunc invidia, nunc admira-  
tio imitationem accedit. \* Noster ille in Schola commi-  
lites primarios & amicos progressu ætatis in privato lare &  
aulæ Ligia luce perpetuos coluit & peculiari affectu pro-  
secutus est *Cass. Kirchnerum & Bernh. Guilielm. Nüslerum* :  
quorum ille non magis sanguine (quippe amitini erant)  
quam æqua virtute ipsi propinquus; hic ortu Fridlandus  
ad fines Bohemiz, qui meam tamen patriam priore longè  
potiorem æstimans, à primo literarum cultu illic percepto  
jus civitatis honestè ambiens assicutus est: Optio nostro  
ex genuina ingenii, morum, studiorum ac virtæ aulicæ &  
litteratæ similitudine omnium, quantum scio, ad extremum  
virtæ spiritum longè conjunctissimus permansit: cuius can-  
dorem & fidem cum cæteris animi ingeniique dotibus pas-  
sim Noster in suis monumentis posteritati testata fecit. \* E-  
nimvero natus indefesso studio aliquam legendi & scri-  
bendi facultatem in liberâ & numeris adstrictâ oratione,  
jactis probè fundamentis plus superstructurus, ex paren-  
tum & præceptorum consilio Vratislaviam, & urbis & ex-  
emplorum celebritate incensus, tanquam in ampliorem  
bonarum artium mercatum missus est, ac statim in *Magda-  
leneam* concessit; cui tūm dexterimus ille Palæmon aut  
Epicharmus *Johann Hækelsfius* præfectus erat, qui sta-  
tim cognitum adolescentis ingenium ad summa quæq; na-  
tum, & ad id domi præparatum amavit, fovit, amplexus,  
ac cæteris condiscipulis in exemplum digito quasi mon-  
stravit, idemque in lucem & conspectum summorum viro-  
rum prodaxit. Eius verò potissimum commendatione ma-

\* Condisci-  
puli ibidem.

\* In Schola  
Vratislavi-  
ensi Præce-  
ptor & PR-  
ator i.

gni nominis eā ætate Medicis, Poëtis ac Philologis *Dan.*  
*Bucretio & Capp. Cunrado* innotuit. Quorum ille probata  
adolescentis magna spe & profectibus, dignum deprehendit, quem lectissimo suorum filiorum pari Danieli & Theodooro pædagogum præficeret: in cuius ædes, vel potius templū quoddam Oraculi, admissus, viro magno Patrōno domesticō aspecto, auditō atque tacente etiam mirum quantum incendebatur, atque adolescentis ingenio, studiorum diligentī culturā ac cupiditate gloriæ non tam commendabilem quam admirabilem brevi fecit. *Quemadmodum* enim periti Aquileges ei loco conjiciunt aquas subesse, ubi conspexerint vaporem mane attolli: ita ex prævio adolescentis ardore studiorum non immerito magnus ille magni hujus ingenii conjector spem maximam de luculentæ eruditionis & maximarum virtutum inexhaustâ scaterringine concepit. \* In hac prolusione ætas interea adulta allabitur, quā in maturos annos cogitandum erat, cui studio se potissimum addiceret, & an vitæ, an Scholæ disceret. Usus itaque domestici hujus patroni & aliorum magnorum virorum, præcipue *Henelii*, qui adolescentem ex musteo carmine ante amplexus est, consilio & judicio, atque expensis in utramq; partem consultorum rationibus, tandem Musas cum Gratiis, suavissimâ harmoniâ miscuit; cum studiis accurate Sapientiæ, nō trivialis & spinosæ illius sophisticae aut insipientis Epicureæ, sed Socraticaæ, masculæ, cumque justo Christianæ temperamento sociatæ, Eloquentiam non umbraticam & intricatam, sed gravem ac Politico homini convenientem, verbis splendidam, sensu validam atque auribus nostri seculi accommodatam conjunxit: planè ad mentem eoram, qui ut significant, Mercurii ac Palladis studia conjungi operere, effinxere olim Hermathenam.

\* *Institutum  
sit.*

Jam

Jam cùm magni sit res momenti, quibüs aliquis Doctoribus ac ductoribns profecerit, & vel audit a lectis, vel lecta auditis prætulerit: Noster ille audita cum lectis conjunxit; doctores in Gymnasiis & academiis publicos, sapientiâ & Eloquentiâ celebres audivit, ac in primis admonitus Cl. Belgarum scriptoris Scriverii symbolo, legendô & scribendo omnem antiquitatem Græcam & Latinam, Christianam & gentilem sibi familiarem fecit, eruditionem excellentem sibi comparavit, comparatam cum publico comunicavit. A Poësi, ad quam sorte nascendi, cælesti mente ac Spiritu animoso & alto raperetur, præmetium famæ exorsus, fructum studiorum suorum ad patriam primam, ad Vratisla viam alteram magistram, detulit: donec tandem matura ac viro digna opera Augustissimo Cæsari, Sereniss. Regibus, Illustriss. Principibus ac Magnatibus Imperii & Silesiæ cum magnâ Cæsareæ, Regiæ ac Principalis Clementiæ ac gratiæ usurâ dignissimus Cliens & præco tantorum Dominorum consecrata dedicata offerret. \* Sed nescio quâ occasione, felici tamen, Vratislaviâ Bethaniam Illustris Schönaichii, studiorum olim insignis nutritii, concessit, ut studia & mores in Academiam magis magisque præpararet. Ibi commendatione tam propriarum virtutum quam Casp. Dornavii, in ædes seu potius quandam potentioris aulam receptus, ac filio Magnifici Viri Tobie Sculteti de Schwanensee in Brego-Schiz (quem tempore interregni Bohemici, postquam illustris Burghusius opportunâ morte incendio rerum publico eruptus esset, prudentia insignis, cum experientiâ, usuque rerum singulari conjunctain, Cameram Silesiæ admoverat,) datus est Ephorus. \* Sed paulò post mutatus status Nostri fortunam quoque involvit: qui exinde in Academiam Francofurtanam

D

con-

\* Prepara-  
tio Bethani-  
ensis ad A-  
cademiam.

\* Professio  
in Academi-  
am Fran-  
furtensem;

concedens per annum illic cum *Naslero* suo vixit. Quā occasione uterque, ille carminibus, hic eleganti & politissimo scripto, Laude Araneæ (credo ad æmulationem similis operis, in quo magnus *Gruterus* arcana Rerump. & Principum secreta moresque delineaturus erat, concepto,) Proxenetā *Andrea Geislero* tum Cancellario Ligio, viam ad aulam & gratiam Illustriss. Celsissimique Principis *Georgii Rudolfi* invenit, sub cujus tutela ac umbra suavissimum illud parolorum postea securè vixit & cantavit. \* Hinc Orestes & Pylades in tempus distracti sunt; *Naslerus* Lignitium in contubernium *Andreae Geisleri* admissus, & per hunc explorato ejus ingenio ad Principalem amicitiam nato, in aulam Piasti, Civilium ingeniorum veram palæstram, commisso sibi Epistolarum secretarum commercio, evectus est: Opitius verò in patriam redux, à parente cum necessariis sumtibus Heidelbergam in Nobilissimū illud Myrtilletum alegatus est, tam ob Academiac & Bibliothecac, inæstimabilis illius thesauri, quām Aulæ magnificentiam & decorum splendorem, ac in primis Electoris eo tempore beatum ac tranquillum Regimen, Consiliariorum prudentialiam & auctoritatem, domi pariter & foris in Imperio latè florentem. Quæ omnia quanta fuerint bona, nūc demum post amissa intelleximus. Sed istud opus plenum aleæ transmittō, ac ad Opitii fortunam illic spirantem revertor. Heidelbergæ itaque tūm maturioris ætatis ac judicij suffragio, tūm ex aspectu & usu maximorum exemplorum, ingenii fertilitas, doctrinæ ubertas, judicij maturitas, ac, Varronis verbo, auctumnitas omnes vires cordis ac oris opes explicare cœpit: occurribus materia, occasione, fautoribus commendatōribusque, sine quibus nullum magnum ingenium emergere potest. \* Inter illos verò fami-

\* & ibi p.  
troni.

familiam duxit *Georgius Michael Lingelshemius*, Palatinatus  
verus Nestor, vita integritate & morum censurā Christia-  
nus aliquis Cato. Hic est, qui olim *Friderici IV. Electoris* an-  
te sumtum Principatum cum *Grünradio* quasi Burrho, ipse  
tanquam Seneca, juventutem rexit, postea ab ipso in Con-  
silium Status adscitus, & ab eodem decedente Filio Succes-  
sori paternus amicus instar pretiosi thesauri commendatus.  
Cujus divini senis, seu potius præmonentis oraculi, non for-  
tunæ Principis, sed ipsi Principi consultum cupientis, mode-  
rata consilia si præ calidis illis, quæ primâ specie lœta erant,  
tractatu dura siebant, eventu tristia desinebant, valuerint,  
res florentiore loco essent. Hic ergo *Lingelshemius*, quo  
erat judicio & prudentiâ, & humanitate, Opitum Filiis  
suis in palæstrâ bona mentis exercendis, præ aliis præfici-  
endum delegit, quem vel ipsa fama dignum monstrarat.  
Hic dubium & incertum est, utrum plus Patronus ille do-  
mesticus juvenem amarit, foyerit, promoverit, in lucem  
& aspectum Aulicorum summornmque Virorum produ-  
xerit; an ille Cliens Mæcenatem suspexerit, extulerit, seq;  
ad incomparabile exemplum composuerit, atque auctori-  
tate illius omnia dixerit, fecerit, cogitaverit. In hujus simi  
indulgentiaque Opitius lacertos ac toros ingenii movere  
cœpit, & ludicra, seria, vorsa, prorsa, Latina, Germanica,  
ubique ambidexter, lusit, condidit, publicavit. Egregios  
tanti ingenii fœtus non tam ipsi genitori, quam seculo no-  
vum hoc sidus gratulatus est *Janus Gruterus* (sed quis &  
quantus Vir!) cujus ingenio, consilio, bibliothecâ publicâ  
ac suâ per biennium non sine fœnore usus est Opitius, qui  
etiam id beneficium reverenter, quamdiu vixit, agnovit,  
& mirificis laudibus extulit. Noster etiam illie loci non  
solum vetera miratus extulit, sed etiam recentium specula-

tor curiosus fuit, nec tam mortuis quam superstitibus ævi lumenibus concolor fieri optavit, quorum copia Palatinatus & Alemannia tunc in alta pace luxuriabat. Quis Hippolysto à Collibus acutior, festivior, elegantior & prudentior, ac ad aulæ genium, accommodatior & tractandis domi ac foris negotiis dexterior? Virum si nescis, ut Leonem ex ungue, ita ex monumentis perpetuo victuris, nominatim Principe Aulico, Rerump, incrementis ac decrementis, Arte silendi & alijs, ex legationibus item, potissimum illâ ad ordines Fœderati Belgii de tractandis duodecennalibus induciis, in qua multum ejus consilium & opera apud partes valuit, abunde cognoscere licebit. Quis in rebus imperii & Cameralis justitiae peritior Nicolao Cisnero & Petro Denaiso J Ctis? Quis antiquæ Eruditionis, rerum Germanicarum & arcanorum imperii ac sigillatim Palatinorum scientior Marquardo Frehero? Taceo cæteros in Aula & Academiâ, Evenium, Reuberum, Ursinum & Pareum Silesios, Gotfredum, Pacium, Xylandrum, Melissum, utrumque ab Electorali Bibliothecâ, illum Græcæ eruditionis, hunc Lyrici carminis in Germaniâ Principes ac Signiferos. \* Ut vero Nostræ magnos Amicos invenit, ita etiam familiares eiusmodi, in quibus sua ipsius natura ipsum delectaret, quæsivit & invenit, quales erant, alter ille secundum Turnebum Adversariorum scriptor Caspar Barthius, helluo Librorum & Eruditionis, cuius ille contubernio aliquandiu usus est; Henricus Albertius Hamilton speratum Daniæ suæ decus, nisi fato præventus fuisset; Julius Zincgrefius, Emblematum & Germanicorum Apophthegmatum collectione clarissimus; Janus Gebhardus apud Gröninganos Historicus; & quem præ cæteris genio planè suum interiori affectui se posuerat, Balthasar Venator variâ per has patriæ suæ calamij.

lamentates fortunā jactatās, nunc in aliquem portū apud Bipontinum Principem delatus: qui nuper Epistolis duabus, alterā Bipontini districtus, alterā universae Germaniae faciem miserabilem graphicè posteritati illacrumaturæ oculis intuendam depinxit. \* Eo tempore fama Berneg-  
geri Thaletis mei sapientissimi, diu velut arbor occulto ævo creverat. Piaculum juvenis noster existimavit, nisi etiam vultu facilem & dictu affabilem omnibus, oculis & auribus usurparet. Hoc igitur in Argentoratensi Academiaviso aspectoque non tam virtutes prisci ævi in ipso eminentes, quam modestiam & pudorem viri omnia quietâ industriâ, sine ullâ ostentatione, dicentis & facientis, probè sancti & innocentis admiratus est. Vicissim hic curiosissimus ingeniorum æstimator, statim animadvertisit, ut Opitium appellat, exoriens hoc novum sidus, illumque à posterritate, suum cuique decus pendente, Virgilium Germanicum dictum iri ex veri tripode prædixit. Argentoratum, urbem Poëta noster non tantum ab antiquitate & origine Romanâ, amplitudine ac Martis propugnaculis, ac invidendâ illa turre, ad quæ vulgus stupet, quantum ab iis, quæ prudentiores suspiciunt, à pulcrâ Democratiæ cum Aristocratiâ mixtrâ, ac immortali illic nato Sleidani opere studiorum mercatu, doctorum copia & delectu rotundissimo Epigrammate, quod Galli Sonnettum, Sonnetto Itali vocant, decantavit. \* Hinc per Tractum Würtenbergicum Tubingæ Professores eximios, Christoph. Besoldum Ictum & Politicum, ac Thomam Lansium salutavit, atque hinc Heidelbergam ad Patronos, Consiliarios vivos & mortuos, ac familiares & delicias suas reversus est. Sed ut nullum magnum ingenium est sine dementiæ mixtrâ, nec composui satis quisquam ad Heliconem grassatus est, sic adolescen-

\*Excursio in  
Argentora-  
tensem;

\* in Tubin-  
gensem, &  
reditus Hei-  
delbergam.

tia ejus paulum hæsit ad cantilenas Sirenum; qui morbus  
 communis ipsi fuit cum magnis viris, præcipue cum poë-  
 tis amandi magistris. Quibus tamen Auctoribus invidiam  
 culpæ nolo defendere, sed nævos ingenii ferendos aliquâ  
 parte puto. \* Tam diu autem Noster Heidelbergæ studiis  
 & civili conversationi operam dedit, quamdiu Germania  
 pacata fuit. Moto rerum statu & incendio Bohemico latè  
 faces spargente, Palatinatûque ex contagio viciniæ attacto,  
 Opitius flammis se his publicis subterduxit, ac cum quo-  
 dam Equite Dano migravit in Belgium, officinam Martis,  
 domicilium Minervæ, Prytaneum bonarum mentium &  
 campum illum verè Martium. Pellastratis provinciis  
 Ordd. Fœderatorum, flaviis, propugnaculis & fortissimis  
 munimentis, tandem Leidam devenit, visurus tūm urbem  
 tantâ majorum virtute, inter tot hostes, foris ignem, ferrum,  
 undam, domi famem & discordiam civium, divinâ protec-  
 ctione, prudentiâ Senatus ex faucibus incubantis Hispani  
 & jam tantum non prædâ opimâ potentis ereptam: tūm  
 Academiam, illud Palladium Minervæ & templum Mu-  
 sarum, in quo magnus Scaliger oraculi loco consultus est,  
 in quo Lipsius, Merula, Baudius aliique magni Viri docu-  
 ere: tūm verò Scriverium, Vossium, Barlaeum, Ruthgerſi-  
 um, & in primis delicium nostri ævi Heinsum, quem olim  
 magnus Scaliger tanquam Filium suum tenerrimè ample-  
 xus est, & supra omnia ævi sui ingenia extulit, ac noster  
 Carmine Germanico Phœnicem seculi & æternitatis pul-  
 lum appellavit. Hiæc ad alias divertit urbes & oppida, præ-  
 cipue Amstelodamum, illud nobilissimum & florentissi-  
 mum Europæ emporium, quod, ut affirmat Belgicus scri-  
 ptor, tot unico sæpe die ex diversis oris & regionibus ap-  
 pellunt vela, quot annys integer dies complectitur. Inde

Hagam

\* Iter Belg-  
cum;

Hagam cū Eqnīte suo pervenit, illam Hollandiæ olim  
 Comitum sedem, nūc Ordinum Fœderatorum Curiam  
 toto terrarum orbe celebratissimam, ubi de pace & bello  
 & aliis Reip. negotiis non magis ad Belgii, quām totius  
 Europæ statum facientibns, interventū tot Regum & Prin-  
 cipum sociorum per Legatos agitatur & decernitur. La-  
 borabat autem tum temporis Resp. Batava intestino mor-  
 bo, à nimia Jacobi Arminii subtilitate & ejus asseclarum stu-  
 dio novandarum rerum, ut interpretabantur, orto, cui Pa-  
 tres nationali synodo, ut vocabant, Dordrechti instituto,  
 convocatis eō Gallicanis, Anglicis, Palatinis & Hassiacis,  
 in partem cognoscendæ & componendæ controversiæ,  
 ne quid Ecclesia isto dissidio detrimenti caperet, maturè  
 medicari cogitabant. Exitus negotii tandem is fuit, ut non-  
 nullis patriæ hostibus judicatis, nonnullis capite & fortu-  
 nis, nonnullis carcere perpetuo damnatis, Reip. constule-  
 retur. Quod magnum exemplum si forte aliquid ex iniquo  
 habuit: tamen quicquid fuit contra singulos peccatum,  
 utilitate publicâ satis repensum esse videri potest. Hæc  
 & alia documenta Noster intueri ac in animo recondere  
 poterat, unde aliquando, uti pōst factū esse audietis,  
 sibi patriæque Reip. quod imitaretur, excēperet, quod-  
 que fœdum incœptu foret, fœdum exitu, vitaret & in aliis  
 animadversum notaret. \* Hinc cum Comite suo Dano  
 Cimbricam.  
 Equite in Cimbriam citeriorem profectus, in illo nidulo  
 & halcyoniis pacis, cum alias in Bohemia exortæ turbæ  
 lento contagio per totam Germaniām, imò Europam serpe-  
 rent, tempus suum scribendis de constantia libris fecellit.  
 Quos & ex aspectu temporum, quibus non liceret scribere  
 ac dicere, quæ sentiret, & tanquam victurum opus, nonum  
 in annum, ut ajunt, domi pressos ante paucos annos in publi-  
 cum

\* Reditus in cùm exire passus est. \* Contigit postea, ut Bohemia à suo patriam & vita Aulica. Domino legitimo armis recuperata, Moravia item & Silesia certis conditionibus compositæ, paulisper respirarent, & Imp. Ferdinandus II. Georgio Rudolfo præfecturam totius Silesiae mandaret. Hic Opitius ex Cimbriâ in patriam rediit, ac Pro-Regi diù luvenilibus cognitus, postmodum à Nüslero & Kirchnero propius commendatus, relicto privato & obscuro vita genere in aulam concessit, ut in oculis Principis & prudenterissimorum Aulicorum tanquam in verâ & Liberali ingeniorum ad Remp. natorum scholâ tyrocinium poneret publicæ lucis. Ibi pari Musarum & negotiorum studio magis magisque crevit, genio ipsum ac artibus ad istam vitam ferentibus, cùm, quod magnum artis præceptum existimant periti, plurimum faceret, minimum de se ipse loqueretur. Hoc tempore duos illos Heinßu hymnos, alterum Iesu Christi veri Dei & Hominis, quem Casp. Kirchnero inscripsit, amitino suo primario, Opitianii ingenii admiratori, alterum fictitii gentilium Deastri Bacchi, quem Andrea Geislero Consiliario Cæsareo, & Cancellario Lignicensi consecravit, è Belgico idiomate in Alemannicum felciter transtulit. Quibus editis speciminibus non tantum domesticos Patronos, sed ipsum Heinßum sibi obstringebat, immò oculos omnium doctorum latè in se convertebat. Quippe his lectis Hymnis & aliis felicissimis ingenii partibus Abrahamus Bibranus Flos Literatæ Nobilitatis & Medulla (quod ornamentum tamen, & Opitio, & mihi, & litterato Orbi, & Silesiæ paulò post immatura mors eripuit, nostroque usui subtraxit) unicum Silesiæ ocellum nuncupare ipsum non dubitavit. \* Præclara de Opitio fama non intra Silesiæ & Germaniæ limites se continebat, sed celeritate sua in ipsum Prientem transvolavit, ad

\* Vocatio in  
Transilvani-  
am.

Clas-

Clarissimum & dum maximè formidabilem Principem Gabrielem Bethlenium Dacicæ Dynastam, nec tam potentia & rebus felicissimè gestis, quam restitutione Regii sceptri & diadematis, quod oblatum sibi tandem legitimè electo Regi & quis conditionibus reddidit, eoque pacto cum Augustali Austriaeorum domo, contrà quam ipsum æmuli Reges, Principes & Resp. non semel exciverant, amicitiam redintegravit, prægloriosissimum. Istum compositâ foris pace domi de ornamentis Aulæ & scholarum, ac instrumentis futuri seculi sollicitus, in tractu nostro per suos Actores inquire curavit in summæ ac diversæ Eruditionis viros, quibus lauto stipendio & digno honore conductis suas ditiones ornaret, stabiliret, firmaret. Inter quos Opitius proxenetâ Casp. Cunrado Medico & Poëtâ Vratislavensium celeberrimo, ac illius ingenii & gnarissimo & amantissimo, Magno illi Orientis Principi commendatus fuit, ut esset singulare Albæ Juliz, ubi Gymnasium curâ & munificentiâ Principali efflorescere incipiebat, ornamentum & juventutem studiorum nimis seram ac propè elementariam ad antiquę Eruditionis & Sapientiæ adyta rectâ & compendiò deduceret. In functione illâ Professoriâ publicè interpretatus est Horatium & Senecam, illum Epicurez, hunc Stoicæ sectæ, utrumque tamen oratione masculâ ac sapienti præpollentem ac exactorem virtutis. Hâc industria & dexteritate Opitius apud Principem recti censem & quissimum, benevolentiam ac patrocinium, qui ipsum s̄pē in aulam ad colloquium & mensam doctis viris plenam vocari juberet, apud alios in cultos & barbaros invidiam meruit. Maximus verò fructus hujus peregrinationis fuit, quod Opitius, præmonente ipsum historiâ, latum ita campū habuit cogitandi de origine Gentis Da-

cicæ, de Decebali formidabilis illic Regis clade, & victoriâ Trajani & coloniis illuc missis: cui historiæ illustrandæ multis Inscriptiones Romanas ex ruderibus corrosis & semesis lapidum fragmentis descriptas congeffit, postea ex ingenio & ratione defectus in iis quosdam supplevit, falsa & dubia correxit, & ad *Grotium*, *Gruterum*, *Berneggerum* horum cimeliorum æstimantissimos transmisit, ut Augustissimo Antiquarum Inscriptionum operi tanquam Appendix addi possent. Ita renovavit noster exemplum *Augerii Giselini Busbequii*, & *Johannis Leunclavii* Oratorum Cæsareorum, olim in Græcia veteris ævi cimelia non tam sibi quam orbi potius literario colligentium. Hæc occasio & fortuna Opitio nostro animum accenderunt condendi opus illud laboriosum, ac æternitati Veteris Imperii Röm. destinatum, conquisitis hinc inde per omnes Bibliothecas publicas & privatas subsidiis: quod toties promissum, sed tūm desultorio Auctoris vitæ genere, tūm mole & obscuritate, post amissos scilicet tot per injuriam vetustatis libros, impeditum & tandem dilatum, demum paulò ante fatalem diem, ut Beatus apud amicos professus est, finitum; desiderio & exspectationi amicorum satis fecisset brevi, nisi emitendi conatum Auctoris mors interrupisset. Cæterum Noster cum ex insolentiâ aëris Transilvani, soli acho minum genio, in valetudinem corporis & animi nauseam concepisset, permisu Indulgentissimi Principis, in signum principalis Clementiæ ab ipso Muneribus auctus, paulo ante secundum Transylvanicum bellum contra Austria motum, tempestatem illam effugit, & in patriæ gremium tūm transquillioris, ac ad veteres delicias cum frumentu non pñnitendo rediit, & in umbram ac tutelam benignissimi sui Piaſti se recepit. In Patriam itaque redux, cuius quanto desiderio in remotis illis oris teneretur ex Zlatna

<sup>\* Regreso</sup>  
in patriam.

tua Ejus, hoc est, de Tranquilitate mentis composito carmine, apparet, opes illas Orientis & cimelia rara, oculis & auribus Principis, Patriæ, Amicis, sermone & scripto exposuit, ostentavit, publicavit. In primis verò Dacia antiqua ipsum totum habuit, in quo opere, omnem famam suæ, ut ipse scribit, spem & fiduciam repoluerat, in quo extruendo nullis vigiliis, nullis lucubrationibus pepercit, in tot volvendis & evolvendis Auctoribus, tot ventilandis, tot examinandis, tot confutandis rationibus eorum, qui confisi suo judicio sine judicio diversissimas origine situ & genio gentes Getas & Gothos easdem esse voluerunt. Sed illud opus lentius successit, non ob remissum Auctoris animum, sed ob inopiam Columnæ Trajani, passim diu per Bibliothecas quæsitam, tandem post aliquot annos, nescio quo Jove inventore repartam, & Commentario insuper in illam Alfonsi Ciacconii Card. Hispani illustratam. Quemadmodum verò pictores eas picturas ac imagines, in quibus omnes ingenii sui vires & facultates periclitantur, in ipso opere per vices seponunt, ac ad aliud quoddam opus accedunt, postea illud ipsum prius iterum in manus sumunt, & diligentius consideratis lineamentis singulis, umbrâ & luce distinctis, emendant & illustrant, quicquid deesse videtur: sic magni Viri opus aliquod victurum condituri, cum intentius laborando remissionem sentiunt animi ac spiritum, telam ornam suspendunt, & aliquod diverticulum in amœnitatibus & lusibus querentes, ingenium seriâ curâ defatigatum reficiunt, quo respiramento facto acrius & alacrius opus iterum aggrediuntur, & ut posteriores curæ ac dies magistræ sunt priorum, longè accuratius vident, quæ amicta ipsorum aciem fugerant. Ad alia itaque Opitius amœnia & venustiora per intervallum aliquod secessit; in quo Epistolas Dominicales & Festivales anni, exemplo Posthii

Palatini illius Poëtæ & Archiatri idem de Evangelii facientis, iussu Principis Lignicensis, versibus reddidit, singulisque singulare carminis genus aptavit, ut melodiis *Gandimeta* Galli Musici canerentur. Interea dum Opitio

*Ludere que vellet, patrius permisit Apollo,*

*Julius Guil. Zincgrefius* amicus Nostri ac strenuus patriæ linguae vindex, adhibitis in consiliū aliis harum literarum callentibus, & tanti Poetæ famæ illustrandæ instantib<sup>9</sup> *Lingelshemio, Berneggero, Venatore, aliisq;*, quorū è meliore luto finxit præcordia Titan, errantes longè lateq; Musas in unum corpusculum collectas primus, cum adjunctis aliorum poematis, non quidem contempnendis, sed Opitiano tamen genio longè, vel Auctorum ipsorum confesione, inferioribus, Argentorati publicis typis excudi curavit. Quæ Editio post lapsum biennii novam, multis accessibus auctiorem, novâ curâ loculentiorem, & mundicie ac politurâ elegantiorem ipso volente & curante Auctore maturius lacessivit. Porrò ne tedium aut satias loci, rerum aut hominum sibi & aliis oriretur, interdum excurrit in urbem patriam, cui quantum se debere fateretur, & quantum eo solo, in quo initia vitæ, doctrinæ & boni omnis accepisset, delectaretur, multis carminibus & Præfatione Libelli, de Germanicâ Poësi ad Ronsardi formam compendiosè scripti, testatum fecit; interdum etiam amicos & patronos animi gratiâ in prædiis suis invisit, ac urbis turbæque fastidium deliciis ruris & solitudine edulcoravit. \* Immò pedem etiam extra Silesiam ad Hermunduros & Saxones extulit, ut Lusciniam illam ad Albim vultu usurparet, *Buchnerum*, cum quo fermè in contubernio per integrum semestre dies colloquiis eruditis ac Sermonibus Socratis traduxit, ubi Troades divinam pridem illam Senecæ Tragædiam à se

\**Excursio in  
Misniam &  
Saxoniam.*

à se versam publicæ luci dedit. Ea occasione famâ & no-  
 minis celebritate electus in Aulam Potentissimi Electoris  
 Saxonie, Amicos Seuffium Poetam & Poetarum studio-  
 sissimum, & Anesorgium Electorali juventuti præfectum  
 salutandi causâ: ac postmodum in aliam magnorum in-  
 geniorum nutriculâ continentissimam, Aulam Literatissimi  
 & omni genere cumulatissimi Principis Ludovici Anhaltini, à  
 Daniele Eremitâ Legato Etrusco aliis prælatam, excurrit, tûm  
 hunc ipsum Evergetam studiorū & in fovendis Poëtis Au-  
 gustū aliquem veneraturus; tûm amicos ejus ornatissimos,  
 Tobiam Hübnerum versione Salustii Bartasianarum hebdo-  
 madum & Legatione paulò ante Anhaldinæ Illustrissimæ  
 Domus nomine ad Principem Silesiæ Lignensem susce-  
 ptâ sibi cognitum, ut etiam Dietericum Werderum versione  
 operis Tassiani de recuperato regno Hierosolymitano ce-  
 lebrem compellaturus. Hinc in patriam redux gratus fuit  
 & Principi & aulicis & amicis omnibus. In hoc absentiæ  
 Opitianæ intervallo Ligius Princeps à parricidâ non no-  
 minando, nobilissimæ & in Ligiam domum devotissimæ  
 familiae excremento, patriæ in his turbis regendæ divinitus  
 servatus est. Ausi nefarii non aliud præmium sibi nequis-  
 simus bipedum conciliavit, quâm quod æternam infamiam  
 sibi ac maculam generi suo inus sit. \* Sed cum Opitius vix \* *Salutatio*  
 è vicina Saxonia in patriam ac in Aulam se recepisset, com-  
 modè accidit, ut ab Illustrissimo Principe, boni publici cau-  
 sâ promovendi, in Augustalem Cæsaris Aulam Consilio &  
 Eloquentiâ promptissimus Cæsp. Kirchnerus præ aliis dignus  
 visus esset, qui a blegaretur. Hic Legatus Opitium Co-  
 mitem itineris & consortem quorundam negotiorum ad-  
 scivit, ut non tantum Fulmen illud Majestatis Imperatoriae,  
 ac pariter benignissimum Austriacæ Clementiae fidus, Se-

*Aula Cæsar-*  
*reæ.*

renissimos Filios Augüstales spectaret, verum etiam potentes Cæsari samicos ac magnos Imperii illius maximi Adjutores, quos Oculos, Manum, Mentem Augusti Domini appellare licet, in primis *Noſtitium Imperialis Aulæ Consilium Amplissimum & Silesia tum temporis singularem Patronum* salutarer. Ad quem Opitione nostro tūm Legati valida commendatio, tūm magis excellens juvenis virtus & præcepta passim fama de felicitate carminis scribendi aditum fecit. Ac tunc opportunè glorioſiſiſimæ Serenissimi Archiducis *Caroli* inter summam futuræ gloriæ ſpem prærepti memorię Epicedium Germanicum condidit, quod in gratiam exterorum quorundam potentiorum, Latinum quoque reddere jussus est. Atque hoc fuit initium & gradus ad Cæſaream clementiam, honores & dignitates, quas paulò post accurante *Dohnano Burggraviō* meritissimo ſuo adeptus est. \* Post reditum desultorio & vago vitæ gene-re vixit, cum eum nunc Vratislavia, nunc Brega, nunc Lignirium, nunc hæc vel illa Aula, nunc Nobiles Amici, nunc docti viri & aliena musea tenerent, ut verè ipſe de hoc ſtatu affirmaret, ſe domi peregrinari. Sæpe ſe Aulæ invito Principe subtraxit, in Patriam ſecendens, ut in tranquillo ſecessu ac nidulo paterno satur honorum, negotiorum, ſplendorum, quæ indulgentia Principis ipſi obtulerat, recognoſceret, quantum beatitudinis ſit momentum, in ſecreto lare delitescere, & in literis, ſine quibus homini ſapientiæ ſtudioſo vita non vitalis est, tranquillè & ſecurè vivere. Quemadmodum verò puellam virtute moribus, formâ & dote inſignem certatim proci hinc & inde ambiunt: ita Opitius à ſummis, medioxumis & imis petitus est. Sed ſuam ope-ram multis negavit, nonnullis addixit. Quanquam enim animo volvēbat profectionem in Galliam, ut florentiſſi-mum

\* Vita ali-  
quandiu  
desultoria

mum illud armis & literis regnum perlustraret, ac sidera non tam Galliaz quam totius Europæ, quæ hactenus in scriptis & famâ traduce veneratus erat, coram adspiceret & coleret, cuius itineris nullo suo cum sumptu, fructu autem maximo conficiendi pulchram occasionem offerebant quidam Equites Silesiæ, quorum à studiis & moribus esse rogabatur; fata tamen & fortuna hominem negotiis majoribus aptum & commodum luci publice destinaverant. \*Nam dum intra spem metumq; fluctuans, quodnā vitæ genus institueret, Illustris Baro Dohnanus, cui à Kirchnero ab ingenio & expediendi promptitudine pridem fuerat commendatus, annuente Principe, cum Opitio lautis conditionibus transegit, ut esset sibi ab Epistolis secretis, ac iis ad summos Magnates, cum quibus ipsi ratione status publici & muneriis à Cæsare commissi multum commercii erat, dirigendis; uteretur interim quâ vellet libertate sentiendi, otio verò frueretur apud se literario. Hæc omnia ex lege Conventionis sanctè inter utrumque servata sunt. Illustris enim Burggravius ex suo ingenio, sideris instar ad omnia celerimmo & igneo, similes ministros requirens, statim Opitium studiis ac rebus gerendis natum, seculi moribus ac auribus accommodatum inter ipsa negotia & dexterima ministeria exploravit, fidemque ejus & in arcans silentium deprehendit. Unde ipsum ad Principes & Magnates alegavit, ut nomine suo quâ valeret concinnâ & decorâ oratione, suis usibus animos infleteret. In primis usus est illo in Epistolis ad Pontificem, Cæsarem, Reges, Principes, & quoscunque alios eminentes exarandis. Quo concordi instituto & Dominus & Minister, quisque suo gradu, summis orbis Monarchis eorumque magnis amicis commendatissimos se effecere. \*Enimverò præter cæteras dotes in

\* Transfisio  
in Aulam  
Baronum à  
Dona.

\* Virtutes  
auilia.  
Nostro

Nostro fuit conciliandæ ut omnium hominum ita præcipue Principum & potentum gratiæ ac promerendi amoris, comiter se gerendo & facundè alloquendo, efficax studiū ac planè singulare quoddam artificium: quo non magis Domini sui indulgentiam ac munificentiam provocavit, quam aliorum & interdum odio partium & invidiâ personæ alienorum animos conciliavit, & ad suos usus adjunxit; Scipionis quasi Africani exemplo, in quo tantam fuisse legimus comitatem atque ad omnia naturalis ingeniī dexteritatem, ut barbaros etiam ac hostes infestissimos facundè alloquendo sibi conciliarit. Nec sola hæc virtus aulica suffecisset, nisi etiam tempori ex Politicorum præcepto inservire potuisset, nisi frontem ex aspectu utilitatis publicæ aperire, mentem autem regere didicisset, nisi mores & vultum non in gloriam aut voluptatem, sed rei agendæ causâ fingere, non uno quidem semper gradu, sed unâ viâ iter ambitione & periculis vacuum pergere, adeoque non eundem in mari publico cursum, sed portum tenere scivisser. Quid de modestiâ Ejus dicam? Opitus arte & flexu dextre utens, nullius sponte servilis sententia Auctor, sed quoties necesitas ingrueret, prudentiam attemperans, multa sinistrè ab aliis detorta, in melius pro virili interpretabatur: quo temperamento effecit, ut apud *Dobnanum* & alios, æquabili auctoritate & gratiâ vigeret. Nec gestis, quod alii gloriosuli cum suo damno faciunt, suis exultavit, sed gloriam rei effectæ ad Dominum suum retulit, atque ita virtute in obsequendo gloriam absque invidiâ invenit. Quid de silentio proferam, optimo illo atque tutissimo rerum administrandarum vinculo? Noster & res magnas sustinere, & magnas tacere æquâ arte calluit; arcanus ipse in commissis sibi nec arcanorum curiosus scrutator,

cum

cum, monente oraculo Corneliano, abditos Principum sensus & si quid occultius parant, exquirere, illicitum æquè ac anceps sit. Cæterum rogatus, ubique res postulabat, fortiter nec obnoxie sententiam dixit, interdum & joca serii miscens, ut erat verè Apophthegmaticum ingenium, aut Laconica brevitate utens verbo sensum expressit, quod in animo haberet illud:

*Ridentem dicere verum*

*quid vetat?*

\* Sed quid aulæ convenit cum privato lare, cujus Opitius \* Aula Do. antehac tantus erat cultor? quid negotiis cum otio? quid <sup>narratio.</sup> ambitioni honorum cum animo sua sorte contento? illa omnia Opitius antea sprevit, & risit, hæc elegit, amavit & voluit. Apagè quisquis ita senserit. Aula non omnis Tranquillitati bellum indicit: Dohnana certè fuit vera palæstra exercendarum virtutum. Licuit illic animum spissà negotiorum mole, remissione ac otio opportunè reficere. *Burggravius* ipse doctus heros & doctorum admirator, qui ex veneratione eruditioñis & ingenii præcipue Opitium, in suum convictum adsciverat, nonnisi à doctorum, in primis dilecti Opitii colloquiis, quos in mensa convictores, indeambulationibus socios, in itineribus comites sibi jungebat, voluptarem & remedium tardiorum petere solebat; exemplo *Severi* Imperatoris, qui in rebus ac negotiis imperii arduis à Literatis, iis maximè, qui historiam norant, requirerbat, quid in talibus causis, quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatores vel exterarum gentium fecissent. Quoties mensæ Dohnanæ, Proceres, Legati, aut alii in togâ & sagu summi viri interessent, & de ratione status discursus reciprocarentur, de Pace, de Bello, de quæ omnibus Reip. negotiis: Opitius à Mæcenate suo illis monstratus,

tus, deque sententiâ rogatus, liberè semper, quid sentiret, respondit, atque quo erat artificio conciliandæ benevolentia, & sagacitatem judicii, omnium animos hoc modo sibi conciliavit. Credunt Annibales & Cleomenes, qui togati sunt & libris addicti, qui que serio nunquam hostem, nunquam castra viderunt, nunquam denique partem alicuius bellici muneris attigerunt, eos non posse judicia de bello militiæque muniis ferre: sed noster ille pro suâ prudentiâ judicioque tam naturali, quam per doctrinam ex historiâ bellorum officinâ acquisito, & longo rerum usu apud Mæcenatem suum, qui in pace & bello, consilio & armis eminebat, aucto, inter sagatos prudenter differuit, & quid facto, quid non facto opus foret, distinxit. Ubi ille sobriè judicantibus non modò censore suo *Dohnano*, sed aliis etiam summis Ducibus, oracula Martis loqui visus est: non secus, ac *Brissaco* Gallorum Duci *Georgii Buchanani*, qui tum illius filiorum studiis præfectus erat, prudens consilium nec excors boni eventus arrisit. In circulis omnibus, in conviviis, in tonstrinis, in tabernis multi sunt otiosi & curiosi, qui exercitus quomodo ducendus, ubi castra metandum sit, sciant, quæ loca præsidiis occupanda, quando cum hoste confendum, quando quiescendum sit, pro opinione suâ consilium somnient, qui vota pro studio aut odio partium præcipiant, qui victoriam ante triumphum canant, aut falsam nuncient: cur non solidè versatus in literis Politicis & Historicis, negotiisque aulicis probe subactus aliquis de belli statu & militiæ studiis judicare ausit & rectè possit? Ac ut togatis quibusdam judicium de bello & militiâ concedimus: ita nec sagatis & militaribus, naturali prudentiâ polentib⁹ artes pacis, queis in otio civili sit regendū imperium, deesse semper, aut castrensis jurisdictionis paulò obtusio-

ris

ris peritum, calliditatem fori exercere non posse, statuimus  
 \* Castra quidem suauis Heri sui sub summo Præfecto Copi-  
 arum Pechmanno semel adiit Opitius: sed excursione factâ,  
 pulsis Pechmannianis, se ex postremissimis inter pugnan-  
 dum, primum ac principem in fugâ factum posteâ comme-  
 morans, facetè sub suâ personâ galeatos illos lepores mili-  
 tari scommate, ac castrensi jocandi consuetudine tetigit, ac  
 ne sibi quidem ut domestica quoque vineta cæderentur,  
 in his festi vis & aculeatis versibus pepercit. \* Ita postquam  
 castrensem vitam plurimæ fortunæ egentem videret, &  
 quartâ Lunâ natum se, ac Sejano equo, ut facetè jocatur, in-  
 felicissimè vehi se putaret: castris valedixit, & procul à  
 Belli fulmine esse maluit: Martem vero divino hymno  
 potius, (si ita cum gentilibus Christiano loqui liceat,)  
 quam victimâ sui placere voluit. Inde cōsilio, calamo  
 & linguâ pognaturus barbariem veterem suum hostem  
 aggressus est, quam certè per ista infelicia bella nostris oris,  
 scholis & cordibus incubantem fortiter adhuc repressit,  
 donec Deus sineret. Quotiescumque enim Burggravius  
 vel in castra, vel ad alia Cæsaris munia peregrè iverat, cum  
 Libris veteribus suis amicis in gratiam rediit, quorum usum  
 et si nunquam planè dimiserat, tamen paulò majorem na-  
 ctus, quotiescumq; negotiis herilibus solutum aliquâ rati-  
 one se videret, cœpit concesso otio totus perfui. Inpri-  
 mis verò ad seriam & altam curam Daciac suæ animum ap-  
 plicuit bona fide. Quod si tot libris legendis, tot monu-  
 mentis evolvendis, falsis emendandis, obscuris illustrandis  
 ac perpoliendis, tot laboribus & lucubrationibus exanilan-  
 dis desatigatum se persentisceret, ad carminis amoenitatem,  
 tanquam ex iactatione in tranquillitatem, ex oceano in por-  
 tum refugit; atq; ita nullum tempus in negotio & otio sibi

\*Experi-  
 mentum  
 militare.

\*Redditus ad  
 Musas.

fructuā elabi paſſus eſt, omnesque horas collegit & diſpenſavit, ac à ſe officii rationem ex præcepto Samii Philosophi exegit. Quoties etiam pangendi carminis ſatietate & tædio occūparetur, illud vel foris commercio literarum ad viros aut dignatione aut eruditione celeberrimos & amicos, quos ſibi foris claritudo eruditioſis & celebritas famæ latè per Germaniam, Belgium, Galliam, Angliam, Polonię conciliauerat: vel domi civili conuerſatione, animâ & ſale humanae vitæ inter familiareſ, quibus & legendis cautus ſemper fuit, & retinendis conſtańs, excuſſit. \* Foris præcipui erant Lingelshemius, communis noster Thales ille, Gruterus, Berneggerus, Grotius, Heinsius, Salmasius, Tilenus, Rigaltius, Buchnerus, & quam plurimi alii, quorum nomina in æternitate temporum & famæ ore verſantur. Domi erant ipſi conjunctissimi, Cappar Kirchnerus, & Bernhardus Guilielmus Næſlerus, perpetui uſque in fata fratres ſodales, qui illius pridem in medio fortunæ & honorum cursu præmefi vitam & res geſtas peculiari libello ſuauu & hortata Ampliſſimi Henelii, posteritati condita reliquit, atque ab altero ſuo ſuperftite hoc genus pietatis debitæ exſpectat, quod ille multis aliis illuſtribus & amicis officium lubens præſtitit. Si hic recenſere uellem omnes Patronos, Faſtores, Amicos, primi, medii, imi ſubſellii, Principes, Co- mites, Barones, Equites, Consiliarios, Senatores, hujus & aliarum urbium, diversa ſentientium de religione, Reip. ſtatu, literis hominum; quos ingenti festivitate, ſale & So- craticis sermonibus, morum concinnitate & urbanitate quaſi licito & honesto excantamento & philtro ad aman- dum, colendum, fovendum, extollendum Opitium alle- xerat & ſibi devinxerat, citius tempus quam fermo licet in maximâ magnorum nominum copiâ me deficeret.

\* Cap.

\* Cætorum otii sibi à Dobnano concessi rationem satis lati-  
tam reddidit; editis Panegyricis Cæsarisi, Principum ac a-  
liorum virorum honori, mortuorumque memoria scriptis,  
quo pulcherrimo & regio plane scribendi genere pluri-  
mum delectatus est, ac eo ipso in gloriam veterum Pane-  
gyristarum feliciter assurrexit. \* Quemadmodum verò  
volucris non adsueta est in nidulo suo hærere, sed liberri-  
mo per infinitos spatiorum tractus gaudet ære frui: ita &  
Opitii cœlestis mens motu gaudens uni Silesiæ, uni Vratis-  
laviæ, uni Museo se includi pati non poterat. Ac tametsi  
olim in desultoria illâ & juvenili peregrinatione, cuius  
supra mentionem fecimus, fructum ejus rei aliquem præ-  
ceperat: nec plenum tamen illum, nec totum, certè vix  
doctrinæ non æquè prudentiæ comparandæ aut moribus  
hominū pernoscedis parem, degustasse sibi visus est post-  
ea, cum communi errore deceptum se diceret, qui lustran-  
dis regionibus adolescentiam potius quam sagaciorem æta-  
tem occupasset, & quidem illis, quarum maximè mores, &  
instituta Reip. ac hominum ingenia scire è re patriæ foret,  
præcipue Galliis, licet non tam suá voluntate, quam ne-  
cessitate procul habitis. Jam igitur occurrente opimâ oc-  
casione, Dobnano sumtus itineris Gallici liberaliter pollicen-  
te, maturo ævo, maturo judicio, ad portum veræ pruden-  
tiæ cursum directurus, voto suo & desideriis satisfacere de-  
crevit. Antequam verò se huic itineri indultu Patroni sui  
accingeret, præ gaudio animi per tot spitia terrarum evo-  
laturi, de peregrinatione, in diuinâ suâ Herciniâ, Collo-  
quio Bucolico, in quo Trigam lectissimorum & virorum  
& amicorum Dialogistas, Buchnerum, Nüslerum & Venato-  
rem introducit, festivè ita philosophari voluit: Nihil in  
mundo absque motu & peregrinatione perpetuâ esse: so-

\* Panegyri-  
ci.

\* Itineris  
Gallici con-  
suum.

lem illum moderatorem temporum & illustrissimum siderum principem singulis diebus per orbis terræ vastissimum spatium circumvolvi; Lunam & universum siderum, Lucretiano verbo, ducatum circuitione certa circumagi: atque eadem suo jucundissimo aspectu discursantes solari, navesque domos illas errantes in cursum rectum dirigere: mare per vices certis horis defluxum & refluxum instituere: quadrupedia ex nemore in nemus errare: pisces è mari in flumina descendere: volucres vere ineunte gregatim adventare: uno verbo totam, naturam nos ad peregrinandum invitare, deoque patria tandem non hac caduca tot morbis obnoxia, sed cœlesti & æterna ut cogitemus, monere. Erant quidem avocamenta, quæ institutum Opitii impedire poterant, patriæ charitas, charitatum omnium maxima, studiorum ac librorum familiaritas, parentis suam spem in filio unicè figentis senectus, tot amicorum conjunctissima necessitudo, & ut ipse facetè jocabatur, amicarum blandissimarum Sirenū amabilitas: sed mens altissima cupiens, utilitas publica & privata, Galliæ nobilitas, illa humanæ felicitatis epitome, ille deliciarum omnium paradisus, ille mundi ocellus, illa universi gemma, illud serenantis fortunæ domicilium & regio, ac præcipue Burggravii Dohnani persuasio, de statu illinc cognoscendo instructio, magnorum virorum, quos sibi scriptis & litteris amicos pridem conciliaverat, coram intuendorum salutatio, maturando itineri auctores & suasores erant. \* Profectionem itaque aggressus è Silesiâ Dresdam petiit, tūm Electorem Senerissimum, cuius gratiâ pridem fruitus erat, tūm etiam amicos salutandi causâ, in primis Seussium Silentariū illum, Poetam ipsum & Poëtarum amantis- simum, & Aeneorgium Principibus juventutis Electoralis prefectum,

\* Transitus  
per Germanie aliquas  
provincias.

fectum, virum variæ doctrinæ, linguarū hominum & rerū cognitione præstantissimum. Hinc Lipsiam concesit, & præter Academicos Professores Casparem Barthium, illum magni nominis Criticum, suum olim contubernalem dulcisissimum, amplexus est. Inde in Thuringorum illustri Gothano Gymnasio Johannem Weizium eruditissimum Philologum, illic Reis cholaisticæ sumnum Præfectum, compellavit: postea rectā Hanoviam, ubi Johannem Philippum Parēum salutavit, & Francofurtum, celebratissimum illud Europæ emporium, perrexit, & in eo clarissimæ eruditio-  
 nis antiquæ & novæ, omnium ætatum rerumque in pri-  
 mis atque secretorum imperialium cum Hortledero prodi-  
 torem fidelissimum, Melchiorem Haiminsfeldium Gol-  
 dasium, Trevirensium Electoris Consiliarium, Hospitem  
 humanissimum expertus est: ex quo multa de statu Ger-  
 maniæ & Europæ, tanquam thesauro inexhaustæ peritiæ,  
 cognoscere poterat. Francofurto Argentoratum versus  
 iter instituit, ac illic per menses aliquot substitit, tūm ut in  
 Romanâ illa olim Colonia, Libertatis illibatae sede, ac  
 vicinâ Galliæ non inimicâ se ad Gallicum iter accingeret,  
 tum ut magnas illas animas videret, Lingelshemium, cu-  
 jus divini senis ac Nestoris fruendi causâ, in mensam & con-  
 tubernium ab Hospitali illo Jove receptus est, & Berneg-  
 gerum virum eruditione & judicio summum, modestiâ  
 verò & pudore omnium maximum, qui tantopere sibi de  
 adventu Opitii gratulatus est, ut illud gaudium ne apud  
 me quidem in literis dissimularet; Josiam Glaserum Reip.  
 Secretarium, atque tum Spes futuris annis, nunc eximiæ  
 ac raræ frogis viros, Freinsheimium, Generum Berneggeri,  
 Flori, Taciti & Curtii curatis editionibus ac Panegyrico ma-  
 gno seculi hujus Principi scripto clarissimum, & Bœcle-

rum, eloquentiæ claritudine & studiis Sturmio & Junio  
accensendum. Horum ipse quemque pro merito ac loco  
adoravit, salutavit, compellavit. Ab hoc optatissimo secessu  
& diverticulo, immò sinu tantorum virorum & amicorum,  
in primis Lingelshemii, ex quo tanquam Catone aliquo  
totam Europæ scenam, fabulam & modum agendi à mul-  
tis retrò annis usque in hoc temporis momentum ediscere  
poterat, divellisse vix esset passus, nisi negotium illud, ad  
quod à Dohnano (qui tūm ab Imperatore Ferdinandō II. in  
Borussiam missus Gedani jussus substituit, de cognoscen-  
dis suspectorum animis & consiliis, num pacem, num bel-  
lum vellent) destinatus, exhibito novo rem aggrediendi

\* Iter Galli-  
cum.  
ac agendi præscripto profectionem ursisset. \* Argentora-  
to itaque Lutetiam, dubito an Urbem an Orbem aut Reg-  
num integrum appellem, (certè quam Carolus V. Imp. à  
Francisco I. Gall. Rege interrogatus, non Urbibus, sed pro-  
pter tantam amplitudinem, tantam populi frequentiam,  
tantam rerum omnium copiam Provinciis accensuit) tan-  
quam in compendium quoddam mundi ac divitiarum o-  
mnium, recto & citato gradu contendit. Quemad-  
modum verò in Ceimeliarchio Dresdeni Ducis Saxonizæ,  
Monachiensi Bavariaz, aut Stutgardiensi Würtembergiaæ  
tot genuina naturæ miracula, subtilissima humani ingenii  
inventa, rarissima manuum artificia, tanta copia ac abun-  
dantia oculos curiosi lustratoris & arbitri quasi perstrin-  
gunt: ita Lutetiam ubi venisset Opitius noster, videri po-  
terat nescire, quid prius, quid posterius spectaret, tracta-  
ret, observaret, admiraretur. Quanquam ut Gallia est  
Europæ Lumen, ut Lutetia Parisiorum Galliz oculus;  
ita supremi Parlamenti, ut suo idiomate antiquitus dixerat,  
Curia Lutetiæ est pupilla; illa Curiarum Gallicarum pri-  
ma,

ma, illa Paritum *Francie* Curia, illa illustrissima Majestatis Galliae Regum effigies, Senatus herorum seu deorum, ut Pyrrhi Legatus de Romana olim judicavit, Concilium, innocentiae custos, æqui judex, iniqui vindex, Principum arbiter. Hæc Curia, hoc templum justitiae vel solum dignissimum erat, quod susceptæ in Galliam peregrinationis Opilio scopus esset: quippe hæc prudentiam peregrinatores, si ullibi gentium, addiscunt; hæc omnes Politicorum Tabulas explicatas vident; hic tanquam in palestra Rationem, statūs in toto terrarum orbe constituendi, stabilendi, mutandi, disceptatam cognoscunt; hic tanquam ad prudentiæ cotem ingenium exacuunt, judicium formant & firmant, & audiendo ac videndo illa admiranda, thesaurum quendam in postusùs Patriæ de promendum reconidunt. In hoc itaque theatro quot & quanta contemplatus est Noster! quot & quanta non tam à libris, quam ab hominibus polioribus conquisivit, quæ in cœlestis abyssum mentis demitteret, judicio digereret, patriæ communicanda reservaret! Vulgata illa, non vulgaria tamen, quæ initiantes peregrinatores vident & audiunt, ac reponunt, de Galliæ moribus, Legibus, situ, juribus, provinciis, urbis, Regimine Regio, Curiali, casibus urbanis, bellis, eventis veterum, ex libris & conversatione pridem didicerat: sed via ineunda ipsi erat ad arcana præsentis status: an libra Europæ in æquilibrio immota constet, an hæc vel illa lanx mota prævaleat, arbitrandum sibi putabat. Cui arbitrio instituendo erat ipsi opus aliquo versimodo ac sagacissimo Mercurio, quem obvium & ad omnia promptissimum etiam invenit. Is erat ominoso magnitudinis suæ cognomento *Hugo Grotius*, Belgæ, sed qui Belgicum ingenium elegantiâ, amoenitate ac urbanitate Gallicâ concinnè mi-

50

scuit, à patriâ exul, Regi Galliarum charissimus cliens;  
Principibus Regii sanguinis gratissimus, Curialibus ac  
summis quibusque viris intimæ admissionis amicus ac de-  
licium. Hic ipse in tanta eruditione, in tantâ dignatione  
humanissimus, eâ quâ pollebat, comitare Opitium, cum  
quo jamdudum commercium literarum intercesserat,  
quiique hominem à vindiciis Germanicæ linguæ, & speratâ  
antiquâ Dacia amare cœperat, tantam miratus in tantillo  
corpusculo animam, complexus est. Hujus magni viri,  
etiam si cum maximis comparetur, domum, quam tanquam  
Oraculum quoddam Delphicum Legati maximorum Re-  
gum & Principum, Curiales, Consiliarii Regii ac Regni  
frequenter invisebant, Hospitali illo Mercurio humanis-  
simè Nostrum invitante, quotidie Opitius frequentavit,  
nec ab ipso unquam nisi doctior, melior & prudentior ab-  
iit. Ex hoc Viro *Scaligeri* manu ita formato, de bellis,  
ſcēderibus, pace, & aliis Christianæ Reip. hinc nascentibus  
incrementis, decrementis, morbis ac remediis, tanquam  
ex ipso prudentiæ tripode singularia, quantum licuit, arca-  
na didicit. Celebrabatur eo tempore Lutetiæ Parisiorum  
pulcro instituto & laudabili, acuendis ingeniis & judicio  
firmando, quot diebus fermè privatorum conventus, in  
domo Puteanorum, ubi de statu totius Europæ exercitii  
causâ diventilare & disceptare solebant, cuique conven-  
tori liberè & Gallice enunciare, quæ sentiret, liberum. Eò  
*Grotius*, qui, quotiescumque per graviora negotia vacavit,  
libenter accessit, Opitium manu quasi adduxit, eumque  
flori ac medullæ virorum illic congregatorum cum mul-  
tâ laude ac commendatione stit. Qui omnes illum  
Latinè loquentem Gallico idiomate, ut solent, re-  
ſpondentes amplexati, non tam in Collegium suum re-  
cepe-

ceperunt, quam ipsimet invitardunt, sibi de tanto ho-  
spite mirifice gratulantes; nec ipsum sine invidendo Elo-  
gio dimiserunt, jam se auditio Opitio dictitantes credere,  
Musas etiam trans Alpes sub Arctoum cœlum transvolasse.  
Porro non tantum illo, quem dixi, parario & proxeneta,  
sed etiam propriâ virtute prævia & fama sibi fores ubique  
aperiente, accessit in Museo Cl. *Salmasium*, nunc *Scaligeri*  
apud Batavos optionem, nostri seculi Varronem; in regno  
suo librario *Nicolaum Rigaltium* Bibliothecæ Regium Præ-  
fectum; *Puteanos* magni Parentis magnos Filios; *Hottoman-*  
*num* avo & Patri simillimum, patricio apud Vratislavien-  
ses genere oriundum; *Fran:iscum Thuanum*, *Jacobi Filium*,  
ac *Danielem Tilenum* Aurimontii è Silesia oriundum, ma-  
gni nominis Theologum, ac summa planè Silesiæ olim  
ereptum sidus, aliosque inumeros doctissimos viros,  
quorum Lutetiae, in compendio illo Galliæ, tanta copia  
& tantus delectus, quantus vix usquam alibi gentium &  
terrarum inveniatur. Hæc simulacra virtutum & effigi-  
es omnium amœnitatum Opitus quasi genios quosdam  
veneratus est, non minore vicissim ab iisdem honore cul-  
tus. Interea fallendi temporis causa, Parænetico. (seu Pan-  
egyricum potius dixerim, ex utroque certè mixtum est)  
carmine *Cornelium Grotium* quindecennem, sed cognitione  
linguarum, loquentiæ profectu, & pangendi carminis fe-  
licitate ætatis suæ annos exemplo paterno egressum, (qui  
quantus esset, vel ex illo Panegyrico, quem Opitio nostro  
scripsit, ostendit) ut vestigiis paternis insistens, Patrem o-  
lim æquaret, vel ex ipso paterno voto superaret, adhorta-  
tus est. Libros etiam Hugonis de Religione ad strictos  
metro Gallico, idiomate Batavo initio quidem in gratiam  
Filiæ *Gretia* venustissimo Gallicarum Venerum mon-

stro, ac communi famæ præconio Charitum Quartæ, & inde Alemannici Idiomatis callentior fieret, germanicè verit: postea verò in Germaniam reversus omnium cum applausu doctiorum Auctore consentiente publicis typis exscribendos dedit. Eorum librorum sensum prosaico sermone compendiosè, rogaru Hieronymi Bignonii Regii in Parlamento Advocati totidem Libris, quot in carmine erant, expressum, à me minimo omnium interprete in nostrum idioma traslatum Opitius eodem tempore, qui Dux & Auctor mihi versionis fuerat, in publicum

\* Reditus in  
Aulam Do-  
nanam.

exire passus est. \* Postquam Lutetiæ satis exercitus inspecula illa quasi omnes nubes futurorum tempestatum previdisset, partium consilia, expeditiones, machinas, scenam Europæ apparatum & modum agendi omnem præcognovisset: urgentes patriæ necessitates, & Dobnani desideria illum à paradiſo omnium deliciarum Gallia ac tot suis & seculi deliciis vix avulserunt. Valedicens itaque Amicis, gratissimum hospitem infinitis votis prosequentibus, è Galliâ in Alsatiâ contendit, atque ibi denuò salutis Lingelshemio & Berneggero, quos memorato beatissimo Lutetiano consortio mirificè exhilaravit, inter amplexus, inter oscula reciproca charissimorum capitum in patriam festinans dimissus est. Postquam Vratislaviam rediisset, ipsi met oculati testes plurimi ac auriti suistis, quantum omnium oculi & aures tanquam in Ulyssem aliquem novum conversi. Inquirebant alii de statu in Galliâ publico, de Regis animo, de Richelii & Capucini illius celebratissimi Josephi consiliis, de fœderibus, cum quibus & qua lege sancitis, de bello in quem hostem, in quam oram, unam an plures divertendo, & de aliis. Alii inquirebant de Regni officiis venalibus, de justitiâ Curiarum, de Ducibus, propugnaculis aut aliis togatis ac sagatis, quisque ex suo genio; alii de sum-

summae eruditio[n]is & famae praeconio celebratissimis viris,  
 de studiorum proventu, de Academiâ Patisiensi, de Sorbo-  
 nâ, controversiis Theologorum, causidicinâ Advocatorum,  
 otio sapientum, aliis. Alii ex ignorantia rectiorum, & va-  
 nitatum studio magis inquirebant de externis, more & mo-  
 do vestium, gestuum, gladiorum, lingua cultu, virginum  
 indole, moribus, amoribus. Quibus omnibus satisfactu-  
 rus Opitius, tanquam versutus & versimodus ac duplex  
 Ulysses, singulorum auribus accommodatè locutus est;  
 prudentibus prudenter, reservatis tamen secretis respon-  
 dit, vanis vana & inania festivo commento interpretatus  
 est. Dobnano tamen præcipue ac aliis, quorum scire inter-  
 erat, arcana visa, audita, quæ in præsens, in futurum utilia  
 & observatu maximè digna de statu Europæ erant, bonâ  
 fide exposuit. Quamvis verò repertarum in Gallia rerum  
 pretiosissimarum thesaurus vel ille solus inæstimabilis esse  
 potuisset, quem animo ac memoriâ reportabat Opitius:  
 tamen opportunâ occasione utendum ratus varios quoque  
 libros, rarissimæ notæ, ac in nostris Bibliothecis planè in-  
 cognitos, MSS. editos, ineditos, Græcos, Latinos, & exo-  
 ticos, varios item nummos variarum gentium, Cæſſ. Re-  
 gum, Principum, Rerump. aureos, argenteos, æneos, ac  
 gemmas veterum quam plurimas ex illo Luteriano tanta-  
 rum divitiarum & cimeliorum fundo secum domum retu-  
 lit: ut jam domi suæ ceimeliarchium quoddam ordinatis  
 illis omnibus constituerit, quo amicis spectaturis melius at-  
 que commodiùs gratificari posset. \* Ab hoc reditu Opi-  
 tius per integrum biennium, & quod excedit, stationem

\*Ex eâ trans-  
fus in Lig-  
am.

suam non prius deseruit, quam tempestatibus nostræ patriæ  
 ingruentibus Dobnanus castra Cæsaris secutus, paulò post  
 Pragæ febri occubuisse. Tum demum morte Patroni quasi

in bivio destitutus fuit ancipiti consilio distrahente animū  
deliberantis, utrum missos facerethonores, nec Remp. at-  
tingeret amplius, an tutius foret in portu acquiescere,  
maritimisque fluctibus se subducere. Sed quia existima-  
vit in otio sibi vix tutum fore in tantis tumultibus nidulum,  
cūm occurreret insuper, dignitati esse serviendum, officii-  
que rationem in omni vitā esse ducendam: vitæ genus mu-  
tare noluit, in eo verò patriæ potius Procerum, ac Ligio-  
rum Principum, quām exterorum partes sequi maluit,  
quorum urgente ministerio in Prussiam, beatam illam pu-  
blicā felicitate terram, quæ ex finiti ante aliquot annos bel-  
li sui incendio, ac vicinæ Germaniæ contagio, aureæ pa-  
cis gratiam & bonum suo precio æstimare tūm cœperat, se-  
cedens inter aulica Ligia domus officia tempus suum hac-  
tenus fefellit. Ac ut quælibet terra alit doctos, & virtus  
facile fautores suos invenit, ac cœpta difficulter dignitas  
facilius crescit: ita dotes Opitii, quem alias in multorum  
Principum propensionem & sinum pridem fortuna respi-  
ciens detulerat, ex fama publica Regi ac Regno Poloniæ  
utriq[ue] prudentissimo innotuēre; cuius eloquentia & sa-  
pientia, vel è literis illis, quas *Burggravii* nomine de jure  
Civitatis Poloniæ impetrando, quod Indigenatum vocant,  
expedivit, Regi ac Senatu satis perspecta pro commendatione  
primâ & propriâ fuit. Accedebat quod in Ligia do-  
mo, ac Piastrarum regia familia, (quorum memoria adhuc  
in eo regno, cui olim opime laudabiliterque multis annis  
præfuerint, regiorum alias meritorum & stimantissimo,  
nondum emortua est,) tantus esset minister. \* Interea cum  
sibi indulgentiâ Illustrissimi Ducis *Joh. Christiani* potestas  
esset facta in urbe, quām vellet, sedem & secessum ab au-  
la sibi statuendi: Gedanum, illud maritimum Empo-  
rium,

\* *Mansio  
Dantisca-  
na.*

rium; atque munitissimum propugnaculum, elegit; ut non tantum in portu illo sibi viveret, & ad Libros, præcipue ad opus illud Dacia immortale, postliminio quasi reverteretur, & hac occasione otii sui publicè rationem redderet; verum etiam, ut hac in specula terras, maria, populos, regna arbitrari, foris & domi rationem status cognoscere, & Germaniae fata non oculorum tenerimo, sed leniore aurium sensu percipere posset. Igitur itaque, ac qui alias ubique quantum potuit, in contubernio & commercio sapientum viverere assuetus erat, in domicilium se dedit Nigrini Theologi Helveticæ sententiaz, moderatione & exquitate tamen in diversa sentientes commendabilis, quibus dotibus ipsi Sereniss. Regi Vladislao IV. moderatissimo ac induigentissimo Principi acceptissimus, a quo saepe in arduis negotiis consultus præmium rei bene actæ tulit. Et hæc fuit occasio cælitus missa Opitio illic loci emi-  
nendi, quâ apud alium Hospitem vix gratiorem nancisci potuisset. \* Nigrinus enim Opitum è convictu & sermo-  
nibus, candore, fide & cæteris, quæ in commendando homi-  
ne requiruntur, virtutibus perspectum satis & exploratum  
cum habuisset, graduque sibi, non saltu procedendum esset  
ratus, non Regi quidem ipsi statim ut Jovi, sed Jovis ta-  
men magno cuidam ministro commendavit vel potius fo-  
re utile instrumentum illustrandæ scriptis immortalibus  
Regis & Regni gloriæ ostendit. Is erat Perillastris &  
Generosiss. Gerhardus Dänkofius, Aulæ Regiæ Mareschal-  
cus & exercituum Ductor, Regi ob fidem & constantiam  
tum majorum è Livoniâ ob id ipsum exactorum tum pro-  
priam, eamque spectatam maximè servato Thorunio, cui  
peregrinus miles ad portas incubans frustrâ ut prædæ o-  
pimæ, vigili ejus curâ impeditus, inhiarat, commendatis-  
simus;

*Barthol. Nigrinus  
ad D. Petri Pastor.*

\* *Gratia a-  
pud Regem  
& Proceres  
Poloniae:*

simis; cui etiam in petendis regni honoribus aspiratissimo  
 ad majora matrimonium, quod cum Illustrissimi Principis  
*Johannus Christiani* Filia, Heroina Piastæ, non ita pridem  
 contraxit, robur ac decus inter Poloniæ Proceres, Nobil-  
 itatis generosioris admodum studiosos, additurum est.  
 Hunc magnum Patronum, *Nigrini* interventu jam faci-  
 lem, propensiorem sibi conciliare cogitans Antigonem, So-  
 phoclearum Tragœdiarum facile principem, certissimum  
 speculum contemplandi nostrum seculum, sub illius no-  
 minis auctoritate in publicum cothurno Germanico in-  
 dutum exire passus est. Hoc monumento *Danhofius* de-  
 vinctus, gratum se & propensum in tantum sui cultorem  
 exhibitus nullo alio beneficio se pensare illud posse cre-  
 didit, quam si clientem suum Serenissimo Regi ac munifi-  
 centissimo Sarmatiæ Evergetæ, in aures, oculos, sinum, ani-  
 mam, nusquam tutius & beatius victurum, ferrer, sisteret,  
 poneret, figeret. Regem verò, dexterimo *Danhofio* pro-  
 xeneta faventissimum natus Opitius duobus Panegyricis  
 duplii quasi vinculo; altero Germanico, reduci à Mo-  
 schis sine eæde & sanguine victis; altero Ejusdem Felicita-  
 ti Augustæ ac Honori nuptiarum cum Augustali Nympha  
 Austriacâ institutarum, dedicatis, consecratis, sibi porrò  
 sic conciliavit, ut fidei suæ, prudentiæ, dexteratati multa a-  
 pud Reges Galliæ, Angliæ, Daniæ expedienda crederen-  
 tur. Quibus feliciter expeditis præmiata res laudabiliter ge-  
 stræ Titulos Historiographi ac Secretarii Regii à Rege sa-  
 tis splendidos & depenso annuo pretio quoque fertiles, lu-  
 crifecit. Ac veluti gentiles non soli Jovi supremo deo-  
 rum & hominum credito parenti, sed etiam Concilio omni-  
 um deorum supplicare solebant: ita Noster non Maximi-  
 modè Sarmatiæ Rectoris aquilinam umbram, sed pru-  
 den-

dentissimorum quoque Regni Moderatorum Procerum, Senatorum & Ephorum patrocinium experiri voluit. Cui negotio confiendo, nec opportunior occasio, quam in Comitiis, nec opportunior persona ex Proceribus occurrebat, quam Princeps Togatorum, Arcanorum Reip. servantissimus custos, quem Magnum Regni Cancellarium vocant, *Thomas Samoscius*, Magni illius *Johannis* armis & literis suâ ætate incomparabilis Herois Filius ac dignissimus successor. Ei Opitius noster singularem Variarum Lectionum Librum, Sarmaticarum rerum epitomen obtulit, & quantopere *Samosiam* domum Musis extraordinariam patronam coleret, rotundissimo Epigrammate, Duumvirorum in Rep. literaria summorum *M. Antonii Mureti*, & *Hugonis Grotii* adjuncto, purporam purpuræ, non pannum, ut modestè interpretabatur, assuens, testatus est. A quo patrono in singularis benevolentia signū eodem munere, quod illis à Parente *Thome* illustrissimo contigerat, aureo scilicet nummo *Johannii* effigie signato donatus est. Hos duces augendæ dignitatis suæ Opitius nactus, cum Serenissimo Regi, tum Senatui Reip. Polonæ Amplissimo, è Laudationibus Sereniss. *Annae Suecorum* & *Vandalorum* Principis, *Divi Sigismundi III.* Sororis, & aliquot illustrium Senatorum, ut *Raphaelis* Comitis Lesnensis ac *Palatini* Comæ, Honori ac memorie æternæ dictis, magis magisque innotuit, adeò ut prudentia politica & eloquentia laude, quæ duo maximè Poloni Nobiliores conjungere solent, cymbalum quoddam fieret. \* Quemadmodum verò totum Reip. Polonæ corpus, ita etiam primarium illius membrum Prussiam ac Civitates ejusdē primarias, Gedanum, Thoruniū, Elbingam sibi devinxit; apud quarum Capita, Praesides dicunt, *Cirenenbergum*.

\* apud opiti  
mates Bo-  
rusia.

gium Gedanens̄, Preussiū Thoruniensis, & Israelem Hoppium  
 Elbingensis, singulis aliquid inscribens, illi Rhythmū veteris  
 poētæ incerti Teutonicū, isti priorem, huic posteriorem  
 Epigrammatum selectissimorum Libros, præfando ac suam  
 innocentiam suspectus excusando se approbavit. \* In  
<sup>\* Postrema  
lucubratio-  
nes.</sup> hoc liberali otio, quod Deus & Sarmatiæ Monarcha Optio  
 fecerat, Operi illi Daciæ suæ tanti laboris, tantarum vi-  
 giliarum, tantarum lucubrationum, quod tantæ molis ac  
 ponderis non in nonum tantum annum, ut Horatius scri-  
 pta victura premere præcipit, sed in sedecimum usque  
 presserat, jam post tot desideria, exspectationem, & fla-  
 gitationes doctorum, summam manum imposuit, ac si ali-  
 quot mensibus supervixisset, illud in portum judicii publi-  
 ci stitislet. Circa extrema etiam tempora, quibus homi-  
 ni sua mens meliora præsigire solet, ne ingenium suum so-  
 lā gentilium ac profanā literaturā occuparetur, immortale  
 illud Davidicorum Psalmorum ad modum Clementis  
 Marotti, & Theodori Bezae Gallico metro concinnatorum  
 & Gandimelæ melodiis accommodatorum Opus, longè  
 majore felicitate quam Ambrosius Lobvivasserius, seculi tamen  
 tūm rudioris in hoc genere vītio excusandus, inter acutos  
 arthritidis dolores edolatum publicarat, Christianæ gen-  
 ti aliquod devotæ pietatis suæ monumentum relinquere,  
 atque hoc ipso testari cupiens, spiritum poëticum longè  
 melius divinis & sacris, quam profanis & sape licentiosis  
 occupari. Hanc psalterii paraphrasin, gemmam cætero-  
 rum scriptorum pretiosissimam, penū & promptuarium in-  
 exhaustæ divinæ sapientiæ ditissimum, fontem vitæ & con-  
 solationis limpiddissimum, quis non intimâ cum animi vo-  
 luptate excipiat, devotè legat, psallat, memoriter recitet?  
 Hanc Vestalem, ut ita dicam, virginem castissimam, sa-  
 cerdo-

eerdotum piissimam, custodem sacri ignis divini ac spiritus poetici ac propheticis fidissimam, Deo soli vacantem, pios incitantem, mente argos & spiritu fractos solantem, sub nullo alio praesidio, quam decantatissimæ pietatis *Piae* tutelâ, & sanctissimæ *Hedwigiana* devotionis umbra, hoc est sub Tua Celsitudinis, Optime & Pientissime Princeps, nomine & Numine, tutam & securam fore divinus ille ac Christianus Poëta noster sapienter censuit, \* Sed <sup>\*Obitus.</sup>
 in medio hoc virtutum ac gloriae cursu illustre hoc ingenium, literis & rebus gerendis apprimè natum, cum ingenti orbis literarii ac Germaniae, cuius Libertatis, antiquitatis ac linguae vindex erat incomparabilis, luctu ac danno in hoc efferto excellentium ingeniorum tempore non facile reparabili, in vidia leti praecerpserit. O fatalem mensem Augustum! o funestum XIII. Cal. Septembres! o abominandum contagium hoc opimo tanti viri spolio! o infelicem Silesiam tanto sidere amissio nec osium & cinerum bene meritissimi sui civis compotem! Finis vite Opitianæ ipsi Serenissimo Regi, Ligiis Dynastis, multis Poloniæ ac Silesiæ Proceribus, illustribus, & magnis, tristis, doctrinarum verò studiis in Europæ orbe quaqua versum vere luctuosus, ignotis quoque & incuriosis alias ejusmodi ingeniorum non sine curâ fuit. Vulgus etiam sua tantum alioqui, publicis curis omisis, agere suetum, per fora, circulos, trivia, tabernas, tonstrinas, convivia de ejus excessu locutus est, casumque notissimi ac ob comitatem gratissimi hominis indoluit. Hanc miserationem & intentum dolorem augebat constans rumor intra biduum iteratus, illum ex contagio grassantis luis pestilenti sidere afflatum & uno ictu subito cum impetu interceptum esse. Tibi verò, Cygne suavissime, obitus, vel deprecandæ aspe-

rioris formulæ causa, abitus contigit optabilis, qualem sibi  
Solon è Plejadis septenario sapientissimus, & Legislator  
Atheniensium prudentissimus optasse legitur, testimonio  
hujus distichi à Cicerone ita versi:

*Mors mea ne careat latrumis, linguanus amicis  
Mærorem, ut celebrent funera cum gemitu.*

\*Commen-  
datio-

Inhumanum & ingratum foret, tam clari, tam decti, tam  
prudentis & de Germaniâ tam insigniter meriti viri me-  
moriā incuriosā nostrorum oblivione sepelire, nec vi-  
tam mortui hominis in memoria vivorum æternā repol-  
nere. Et Opitius quidem noster medio floridæ ætatis  
spatio nobis eruptus est, veruntamen si non annos, sed ra-  
ras virtutes, rara in patriam, in literas, in totum hoc secul-  
lum merita, rara fortunæ patrocinantis munera, gloriam-  
que, cui & vivus interfuit, & mortuus eadem florere nun-  
quam desinet, rectè computaverimus, longissimum illum  
dicemus peregisse ævum. Nam cùm ille vera bona, quæ  
in virtutibus sita sunt, summâ animi vi, ignei & volucris  
ingenii vigore, continua industria contentione, eâ perfe-  
ctione, quæ non nisi cœlestibus mentibus contingit, sibi  
comparavisset: quid amplius suo pullo, tot honorum, ti-  
tulorum à Cæsare, Regibus, Principibus, toto literarii or-  
bis unanimi consensu & judicio collatorum præmiis exor-  
nato, fortuna adstruere potuisset? Hoc etiam in parte fe-  
licitatis defunctis habuit, quod eum non paupertas, Ger-  
mania illa bona mentis soror & communis poëtarum in-  
primis morbus afflaverit, sed præter alia officia & functi-  
ones poësis etiam ipsi apud magnates tanta munera pe-  
pererit, ut etiamsi nimiis opibus non inhiaret, ex tamen pro-  
conditione solitarii hominis, satis speciosæ ipsi conting-  
ent. Noster enim Germanus Virgilius & Ronsardus à  
suis

suis Evergetis & Mæcenatibus idem expertus est, quod Bellajus, Ronsardus, Q. Septimius Florens, Auratus, Pybrachius à Carolo IX. Galliæ Rege, qui hos suarum laudum præcones in sinu fovit. Cujus alias facetum dictum annotatum est, cùm illud subinde in ore haberet, Poetas instar generosorum equorum alendos, non saginandos esse: intelligens eos necessario sumtu excitandos, ut spiritu ac animo ad carmen exsilirent, non ut prodigâ liberalitate ferearent & luxuriarent. Beatum etiam nostrum dicimus, quod dignitate vigente, famâ florente, salvis rebus suis ac studiis, è portu illo Gedanensi, cui se, quo naufragii metu ac altissimo civilium fluctuum æstui fortunas suas subduceret, credidisse videtur, in cœlestem, tutum, securum, tranquillum, ac omni parte beatissimum portum secesserit. Ac sicut pacis bonum inæstimabile, sub ortum melioris seculi, votis & suspiriis diu optavit: ita festinatae mortis grande solatium tulit, tempestates istas effugisse. Vana igitur, immò superstitionis foret religio, & pietas magis officiosa, quam generosa, infirmo desiderio, mollibus lacruminis muliebribus lamentis velle perfungi: cùm contemplatio virtutum Opitianarum, quas neque lugeri, neque plangi fas aut pium est, impetrare potius id à nobis debeat, ut illi Beatitudinem suam gratulemur. Credite, Auditores splendidissimi, divinam & cœlo receptam Opiti animam, si res humanas despicer posset, cum Rudio illo vate nos esse allocuturam:

*Nemo me lacruminis decoret, nec funera fletu*

*Faxit. Cur volito vivu per ora virum.*

\*Admiratione ipsum, æmulatione, imitatione veneremur, honestemus, & queremus. Nondum planè neque effecta est natura, neque cœlum sausto fidere ingenia producere.

\*Adhortatio

desuetum, neque omnis literatura emortua: sed multa ingenia, quæ jam in hac seculi infidelitate in occulto latenter melioribus temporibus se reservant: Enitimini exemplo Opitii instar echini se contra fluctus marinos erigentis, qui tot Constantiae exemplis firmatus inter medios bellum fluctus, inter arma & extremas sortis minas emersit, & calamitatis publicæ occasione insigniora virtutis suæ specimina exhibuit, quam sine hac gravissimam adversariæ forte potuisset. Prodite crescentis famæ surculi, spes seculi & posteritatis illustres, *Flemminge, Conrade, Cepeo, Tscherningi;* Opitius nobilissimus ille in bonæ mentis stadio præcursor & decursor vobis lampadem tradit: Opitius ille olor cygneâ voce sua justam vobis canendi materiâ reliquit, & vos fore sibi similes aut pares auguratus, vaticinatus est. Et tu, ô mea juventus, ad hoc exemplum, quod ita cœlo tolli audist, te compone; ejus virtutes, scripta, dicta, & facta, nœvis præteritis, quibus nec ille humanitatis infirmitate exsors erat, ad imitandum tibi propone: si quid in scriptis ejus, prosis, versis, Latinis, germanicis, legeris, observaveris, in memoriam ad usum futurum ceu fidissimam custodiā reponere. Quod si omnes quisque suo ordine, suo loco, omnia Opitii scripta, dicta, facta, gesta, revolverimus, ac formam figuramque mentis ex illis æternæ, non materia auri, æris, marmoris, aut artificio quopiam humano, sed modulo ingenii ac animi expresserimus: corpusculi ejus exilis & vultus suppallidi, sed decentis tamen & bene compositi, quod olim augustæ & jam divinæ animæ angustum præbebat domiciliū conspiciendi desiderium facile moliverimus. \* Quanquam & forma ejus ære ad vivum expressa, cui *Barthius* distichon hoc subscripsit:

*Talis, Lector, erat facie Phœbeia Siren,*

*Germani Princeps Carminis OPITIUS.*

\* *Vultus.*

\* *Cæ-*

\* Cæterum tametsi Opitius, ut alterum ex se Opitium, cœlū \*Cælibatus  
 genuinam sui ingenio & mente effigiem, orbi daret, acce-  
 dentibus insuper toram icorum flagitationibus & hortatisb<sup>9</sup>  
 assiduis, ad matrimoniu[m] contrahendum consilia aliquoties  
 inclinavit: tamen sive sorte nascendi, sive aspectu tempo-  
 rum, sive metu, ne sibi dissimilem, fato quodam optimorum  
 virorum in educandis liberis frequenti, creaturam, aut inu-  
 tile aut etiam damnosum terræ pondus gigneret, sive quod  
 nolle[n]t necessarium illud malum, uti uxorem Cato appellat,  
 præ liberâ aliquid & gratâ compede, cœlebs mortuus est,  
 Epaminondæ quasi exemplum secutus, quod melius patriæ  
 consulere se ajebat, quod nulos liberos relinqueret, quam  
 Pelopidam, quod filium infamia[re] stigmate notatum genu-  
 rat. \* Neque tamen planè stirpis exors obiit. Nam ut idem \* Opera duo  
 incomparabilis Thebanorum Dux Leu[stra]ticam pugnam ex *principia*.  
 se natam & superstitem, velut immortalem filiam relinque-  
 re se ajebat: ita Opitius verè gloriari poterat, patriæ se suæ  
 duas immortales filias genuisse; alteram Germanicam poe-  
 sin, à se solo genitam, à tot hactenus procis petitam, tot ab  
 æmulis & rivalibus invisam, tot denegatam, soli alicui Opi-  
 tio novo aut ejus proximo, destinatam: alteram Daciam,  
 Romano cultu, lingua & mente indutam, maturam annis, &  
 ut ita dicam, nubilē, parente suo orbam, cui tutorē & Cura-  
 torem sibi elegit *Nüslerum*, qui ipsam pro paterno amore  
 posteritati perpetuam ac propriam dicabit. Quicquid itaq;  
 in Opitio amavimus suspeximus, extulim⁹, admirati sumus,  
 manet mansurūq; est in oculis, auribus ac animis Germaniæ  
 in profundâ æternitate temporum famâ rerum. Beatisimū  
 hominem prædicamus Opitium, qui non ut alii præstan-  
 tes pleriq; viri, vel tantum legenda scripsit, vel scribenda fe-  
 cit, sed utrumq; cum admiratione Seculi præststit atq; ambi-  
 dexter posteritati in exemplū propositus superstes erit.

Lite-

*Literæ quadam Opitii familiares ad  
Christoph. Colerum.*

S. P. D.

PRidie Tuas accepi, *Colere* præstantissime, cum jam ad Ampliss. *Lingelshemium* & *Sebizium* nostrum perscripsoram. Hujus parens Vir Nobilissimus obvius heri in foro mihi factus, consultum tibi ex animo mecum vellet, & de modo tua studia juvandi serio accum curâ cogitabit. Nunc quidem unde desiderio tuo satisfieri possit, nihil novimus. *Venatori* de statu hoc gratulor. Diu exoptavi, ut eraditionem suam peregrinati uncula etiam aliqua, quoniam his moribus ac judiciis hodiè vivitur, exornaret. Erit tamen & sic mei non immemor, & tu hominem monebis, ne & literis & *Grutero* carere me diutius patiatur. Si Dn. *Lingelshemius* suis me dignabitur, sanè gaudebo, sine negotiis obstabunt, interea tu de statu ejus ad me perscribes. Scire item velim, quid tota domus Ejus, quid liberi faciant. Item quomodo cum valetudine Cl. Dn. *Berneggeri* agatur, est enim inter Antesignanos meorum amicorum. De *Zinggræso* nihil haec tenus audivi. Quid mecum futurum sit, incertus sum &c. Vale, mi *Colere*, & sequentem annum felicibus auspiciis ac successu rerum optimo cum amicis, qui apud vos sunt, aggredere. Vratislavæ ex Regiâ, ipsis Cal. Jan. 1629.

T,

OPITIUS.

S. P.

Cave credas, *Colere* Præstantiss. oblivisci me tui posse unquam. Unicam à te, serio loquar, epistolam accepi, cui, quod non respondi, status vita meæ obstitit, cum semper

per aut in Aulis, aut in itinere, aut in castris etiam versatus sim. Nunc cum paulò majus otium suppetat, prius silentium crebrioribus resarciam. De Poëmatis tuis Catalogus Francofurtensis indicavit. Gratulor Patriæ ob doctissimam hanc prolem, & tibi quoque rectâ viâ ad famam tendenti. Macte hoc animo, nos Tibi lampada libenter trademus. At Tu salvere jubes meam JUSTINAM, quia si conjugio libertatem hanc addixerim. Optas etiam ipsi felicem partum, veluti de illa loquereris, cuius mentio sit in Inscriptione Hispanica.

SUM. EGO. JUSTINA.

UXOR FUTURA. FIUNT. ET. HÆC.

LIBENTER. &c.

Hostibus talem. Ita me amet, quam non odi, & tu continentia meæ & castitati injuriā facis. Amicos salutabo. Isleram noa novi. Nam carmen Ejus notæ non malæ additum fuit libello meō me inscio. Patriam nostram pestis denuò affligit; itaque parens meū, qui alias omnibus modis retinere me domi suæ cupit, venire ad se nunc vetat. Sed instat bruma, cuius rigor, ut spero, morbi vires extingueret. Vale mi Ornatisime Colere, cum Wesselio nostro, cuius his diebus inter me, Kirchnerum, & Teubnerum sanè optimæ facta fuit mentio. Ultinam ejus studiis possem prodere. Vale iterum. Vratislavæ ex Museo meo A.

1626. 20. Nov.

Tuus omni studio & fide

MARTINUS OPITIUS.

S. P. D. Præst. Colere.

REdditæ sunt mihi literæ vestræ, de quibus, uti & de carminibus elegantissimis gratias ago. Inscriptiones, quas decus illud Litterarum Berneggerus petiit, ad vos misi, ut in Galliam unà cum aliis transvehantur. Inter Schedas

Gruterii alterum earundem Inscriptioñum exemplarū erit,  
quod Venator noster penes se retinuit, cùm hoc ex adver-  
sariis meis excerptum sit accuratius. Cæterum quod de  
tranquillitate studiorum mihi gratularis, non immerito  
hoc facis, cùm otio hactenus fruar satis abundantia. Sed ea  
nunc ingruit temporum conditio, quæ Coloniam mutare  
me aliosque procul dubio jubebit. Ob parentes nostros ac  
necessitudines non mediocri in metu constitutus sum. &c.  
Orandus Deus est, ut constantia nobis consilia cœlitus sug-  
gerat. De virtute sibi agnata & robore animi gloriari va-  
nissimum est: & plerumque ii, qui secundo adhuc tempo-  
re paratragœdiari audent, viresque suas jactare; ubi ad rem  
ventum est, desertorum agmen ducunt. &c. Antiquum sem-  
per placuit, nunc etiam per placet. Omne solum fortis patria  
est. Vale juvenis doctissime & suavissime. Sodalem  
nostrum Venatorem urge, ut respondeat. Vrat. ex Regia  
ff. Cal. Dec. 1628.

T.

M. OPITIUS.

S. P. D.

Jure equidem Colere Cl, de silentio meo conqueri posse,  
si eo otio frui hactenus datum mihi fuisset, quod nunc  
demum bonis auspiciis nactus sum. Vratislaviae vix fui,  
nuperadmodum hac reversus. Faciam in posterum, ut se-  
dulitatem videas majorem. De statu meo Pragā nuper ad  
Literarum illud Columen Berneggerum scripsi. Clarissi-  
mum senem Gruterum ad plures abiisse triste auditu fuit.  
Vergunt sensim literæ ad barbariem, & Luminæ studiorū  
quæ supersunt, tām rara sunt, ut obrui hac bellorū occasione  
nisi vel exiguo possint. Scire aveo, an aliquid constitue-  
rit vir summus de iis rebus, quas ineditas reliquit. Inpri-  
miss

67

mīs magnā Reip. literariæ jactūrā periret ea pars Inscrip-  
tionum, quam ab annis plurimis ingenti cū labore con-  
quisiverat. Dici non potest, quantum hæc Epigrammata  
antiquitatis historiam illustrent. Itaque videndum est e-  
tiam atq[ue] etiam, quomodo reddi possit Luci Thesaurus  
incomparabilis. De Kirchneri Epicediis iterum aurem vel-  
lo; nihil enim scribam in ejus memoriam, nisi vestra car-  
mina prius accepero. Germanica Tua Poëmatia recrea-  
runt hunc animum mediocriter: iis autem universis, quæ  
editurus es, propitos lectores opto. Quod verò judicia  
imperitorum timeas, non est: latratus ejusmodi facile per-  
eunt, vivida verò laus & gloria solidiorem sibi quærerit fun-  
dum, quam ut everti posit. Ego earum nugarum, quas  
Heidelbergæ & alibi excogitaveram, pretium nunc quo-  
que hic fero. Omnes enim ædes, omnes plateæ cantin-  
culis meis perstrepunt, quæ in compitis quoque uno alte-  
roque obulo venduntur. Vivus intersum meæ famæ, si di-  
cis placet, & puellarum animos ac ancillas lepidus scilicet  
Suaviludius oblecto. Nunc ut ab his annorum deliciis re-  
misi, ita tamen juvat præteriorum reminisci. &c. Vale, Mi-  
optime, & amicissime Colere. Vrat, Prid. Cal. Mart. 1628.

T.

OPITIUS.

\* \* Mihi tempus omne in negotiis perit, quæ aut ab  
omnibus, aut saltim ab iis studiis aversa sunt, quibus condi-  
mentum humanæ vitæ, gloria & honos apud posteritatem  
quæritur. Sed tempore tam periculoſo famem doctrinæ  
omnis ac rerum bonarum fastidienti quævis conditio vi-  
vendi bona est, dummodo honesta. Vale.

Tuus ex animo

M. OPITIUS.

I. 2

S. P. D.

S. P. D. Præst. Colere.

**G**ratias Tibi habeo de primo Libro *Grotiano*, Reliquos ut  
& ipsos statim transmittas, iterum iterumq; precor, ac, si  
hoc pateris, moneo. Rediit enim Viennâ Meus, qui mo-  
ram omnem mihi imputabit, si diutius negotium hoc lite-  
rarium protelabitur. Legam, quantum per has aulæ nostræ  
molestias licuerit, tuam versionem, quanquam arbitro me  
vix egeas. Ubique videndum, quid equidem sensus ac  
mens Auctoris, sed tamen & quid Linguæ nostræ genius  
requirat, nec anxiè omnibus inhærendum. Id quod *Gra-*  
*tium* velle ex literis ejus perspicio, quibus, quas heri proli-  
xias accepi, hæc inerant: Librorum nostrorum pro Veri-  
tate Religionis Christianæ, quod à scriptore est, non mere-  
tur tantum Interpretem; de ipso argumento idem dicere  
sine impietate non possim. Sed tamen hic quoque memi-  
neris, suadeo, Liberum Te esse, nec ita alligatum præeundi-  
bus verbis, ut non liceat res easdem melius tibi dicere. Hæc  
& alia vir magnus valde amicè. Ejus silvam ad *Tbuanij* Fi-  
lium ab Amandensi Ejus descriptam, si vis, indica: nactus  
enim sum & ipse. Vale Amicorum optime. E Museo  
sub meridiem ferè noctis, & oculis vix conniventibus. 9.  
Maj. 1631.

T.

MARTINUS OPITIUS.

S. P. D. Præst. Colere.

**Q**uanquam otio satis abundem, subterfugere tamen ne-  
gotia Patroni adeò non possum, ut non interdum ab  
ipso à Musis avellar. Et Tuas quidem, interea dum a-  
pud Principem *Henricum Wenceslaum* hæsi, accepisse me  
scito, multò illas gratissimas plenasque rerum scitu digna-  
rum, Gravissimos in Rupellam *Grotii* versus Princeps ille,

una

tina cum Mæcenate meo, optimo etiam horum studiorum  
 censore, miris extulere laudibus, adeoque typis, ut apud  
 nos describi paterer, voluerunt. Magni Viri literas ad  
 me incerto itineri recte tradere noluisti; gratum tamen erit,  
 si iis perfractis descriptum exemplar ad me statim miseris,  
 ipsas autem tecum retinueris, donec felicibus auspiciis ve-  
 nire ad nos possis. Amplissimum summumque Virum  
*Lingelshemium*, & Statorem Literarum fugientium *Berneg-  
 gerum* de responso simul amicè monebis. Uti crebriori-  
 bus meis molestus esse illis nolim, ita sufficit mihi vel rarissimas  
 ab illis accipere, cum & meliores horas nostri causa  
 perfire nolim, & de amore constantissimo benevolentiaque  
 eorum non dubitem. A Venatore nostro neque *Gruterus*,  
 neque ullæ apparent literæ, ita Argentorati reliquise vide-  
 tur, quicquid amoris in me fuit. Stauromachiam *Tauri-  
 ni* si reperire poteris, ea excerptes, quæ ille de Dacia in il-  
 lum Librum, qui hactenus oculos meos fugit, concessisse  
 fertur. Scire velim, an & Arabs *Geographus*; quem penes  
 Cl. *Berneggerum* esse spero, horum locorum meminerit.  
 Si quid auxiliu inde est, diligentiam tuam ut adhibeas, et  
 iam atque etiam peto. Neque *Scylacem* Græcum Geo-  
 graphum vidi. Magnoperè me torquet penuria opti-  
 morum librorum. Quid, quod *Grotii Apologia*, jamdu-  
 dum edita, nondum adhuc mihi & ipsa lecta sit. Beave-  
 ris me, si sarcinas tuas hoc libro onustiores reddideris. Ejus  
 de Christiana Religione Libros Suibus in hibernis legen-  
 dos mihi exhibuit *Mart. N. Lutianum* ait *Salmasius* dederit,  
 adjice. Musæ Lutetiam aufugisse prorsus videntur. Hæc  
 de Libris. Parenst meus exul hactenus superioribus diebus  
 hic fuit, cui Ego, quod nemini adhuc in tota provinciâ  
 factum est, liberam domi habitandi facultatem ad menses

Sex intercessione illi, Bürggravii impetravi; quibus elapsis  
alios iterum sex, rursusque alios petam, ut bonis divendi-  
tis rectius consulere, & rebus suis familiaeque possit. His  
moribus apud nos vivitur! Spondere tamen & mihi ipsi  
nihil certi possum, licet de pedum via nondum metuam.  
Salveat Nobiliss. noster *Sebicius*. Vale, mi *Colere* 1629.

T.

M. OPITIUS.

NICOLAUS HENELIUS in sermone quodam,  
quem subjunxit Carmini sibi ab Opitio paulo ante  
obitum transmiso:

**H**Æc ad me scripsit Vir summus, & in tantum laudandus,  
quantum virtus & meliores literæ, cum primis que Poe-  
sis germana, in qua parem hactenus adeò habuit neminem,  
ut Phœnix Vatum Teutonicorum meritissimo suo passim  
audierit, intelligi possunt. *Martinus Opitius* Regis Poloniae  
Secretarius & Historiographus, Princ. Ligu. à Consiliis &  
Officiis.

Paulo post: Nemo, in cuius pectore probitas, candor,  
*Φιλαλήθεια* & gratus animus, negaverit, quin gravissimam  
Resp. literaria in Opitii obitu jacturam fecerit, eò quidem  
magis dolendam, si, quod abominor, D A C I A M Ejus an-  
tiquam, & quæ alia suorum pignorum ævenditora reliquit,  
ad profanas aut ineruditas manus delabi contingat. Sed  
non deerunt fortè *Buchneri*, *Nasleri*, *Venatores*, qui in cele-  
brandis Beati Manibus vires suas excutient, quodque  
*μαναεῖτης* noster, Mel illud nuper Musarum, Medulla  
Charitum, Flos ingeniorum aliis præstítit, eodem ipsum  
dignabuntur officio pietatis. Nos non alio desiderio illum  
lugemus, quam Decus & Ornamentum Patriæ ac seculi.

Cle.

21  
Clarissimo & Præstantissimo Viro  
**Dn. CHRISTOPHORO COLERO**

in Gymnasio Elisabetano Vratislaviæ Historiarum  
& Poëseos Professori, Laudatissimo Domino &  
Amico Colendo.  
Breslau.

*In Obitum Viri æternæ famæ Martini Opiti.*

Tenè etiam miraclum Hominis, Parca improba, OPITI,  
Demetit, atque Opicis dium caput occulit umbris;  
Donaque tecum aufert, mentis vivacia dona,  
Queis obscurabas aliorum plurima dona;  
Stellarum veluti præstringit lumina solis  
Claror, ab Eo cum profilit æquoris unda.  
Teutona Te tellus merito maestabit honore,  
Dum proprias rapido lymfas confuderit Istro  
Indignans Caroli fossas Alimannus, & altam  
Vertice Marmaricus cœlum pulsaverit Atlas.  
Te Cæci perpes soror Enceladique per orbem  
Rite vechet passim Iolvi metuentibus alis;  
Musipotensque tuas sine fine SILESIA Laudes  
Ore canet memori; Te Teutona vindice Lingua  
Quod caput extulerit, palmaque potenter honores  
Læta ferat, laudisque suæ pomœria tendat,  
Et quā Sol roseos extollit gurgite currus,  
Hesperias & quā fessus descendit in undas;  
Linguæ idioma suæ celebret gens Romula: laudet:  
Linguæ idioma suæ facundaque munera vocis,  
Gallus, & Hispanus lauto se nomine jacteret;  
Non tamen his fasces submittit Teutonis ora,  
Sed quoque sublimem cœli se ad sidera tollit,

Dum

Dñm præfers signum immortalis O P I T I U S artis.  
 Parca sed heu! secuit Tibi, O P I T I, stamina vitæ,  
 Pro thalomoque fero x struxit ferale feretrum.  
 Hinc catus Aonidum chorus & vocalis Apollo,  
 Et quod ubique litant Musis, tua nomina miscent  
 D I S superis, laudes & ad astra micantia tollunt;  
 Atque tua mortis fatum, illætabile fatum  
 Deplorant. Præter reliquos C O L E R U S obumbrat,  
 C O L E R U S pariter G E R M A N Æ mysta loquelæ,  
 Taxo ferali crines, & pectora plangit,  
 Atque modis querulis cantat lacrimabile carmen;  
 Quale sub arboreâ modulatur Daulias umbrâ,  
 Pignora cui nidô detraxit callidus auceps.  
 Salve supremum, vindex o inclyte Linguz  
 Teutonicæ, seclu decus immortale, meique  
 Cordis amor, salve! semper Tua gloria vivet  
 Albis & Odera aquas torto dum vertice volvent.

<sup>2.</sup>  
 Te planctu nemo decoret, neque laudet, O P I T I!  
 Plausus, non planctus te tumulumque decent.  
 Qui cupidire tuam in laudem, velut Icarus, alto  
 Mergitur elogii naufragus amne tui.  
 Nam numero & cumulo laudum omnigeno omnia vincis,  
 Quæ vatum numeris ora diserta canunt.

<sup>3.</sup>  
 Magnum G E R M A N Æ G E N T I S vis dicere H O -  
 M E R U M!  
 Nomina O P I T I A D E N , nostræ sic gentis H O M E R U M  
 Dixti, qui solus tuus es; Germania, Phœnix!  
 E n! Clarissime Domine Colere, Amice carissime exigū -  
 um & levidense affectus mei monumentum erga Opi -  
 tiūm

tium nostrum, quem verè miraculum Orbis terræ dixerimus. Sincero hominem amore complexus sum, credo & alios fecisse idem, quibus quidem cor sapit. Sed fuit eheu! delicium nostrum; evanuit gloria nostra; suosque clausit oculos ille Musarum Charitumque Ocellus unicus. Tu, mi Amice, quicquid passim accentum à Cygnis Musicis ~~τῷ μακάρῳ~~ fuerit, ad me exemplar destina, occasione commodâ. Estne verò Tibi notus D. *Andreas Langius*, JC. ille eminentissimus? Binis me ad se hac transiens invitavit vici- bus, & nomen ipsius planè mihi exciderat cum essem cum ipso, sed postea cum excuterem Libellos meos, deprehendi; novisse nos inter nos in Academia Salana, quâ in tunc temporis versabantur pariter D. *Henelius & Bilizerus*, nomina illa magna & illustria. Officiosam per te salutē D. *Langio* nuncio & amorem, ejusq; memoria semper grata est futura, donec lucis hujus usura frui mihi dabitur. Antehac, cum Argentina adhuc te foveret, carmen Tibi volenti transmisi; illius exemplar quæso ad me remitte, nec enim tūm temporis descriptum retinui. Domino Majori Rectori vestro, per salutis appreciationem me insinues velim, ut & Dn. *Schwarzbachio*, si que alii ibi sunt benè mihi cupientes. Amemus nos mu- tuō, mi suavissime Colere; de me spondeo id facturum, donec lumen vitale videbo. Ita Te hac mente DEI omnipotentiæ etiam atque etiam commendo! Gothæ 7. Febr. Anno clo CXL.

*Goldastus noster & ipse ad  
plures abiit.*

*Tuus intimo affectu  
JOHANNES WEIZIUS.*

### *Epigramma Valentini Sanftlebii.*

**I**N numeros annos Phœnicem vivere dicunt,  
**V**nica totius quod sit & orbis avis.

K

Si

Si quid inest fidei dictis, ut inesse putamus,  
 Credamus: si non: ficta videtur avis.  
 Sed si ficta: aliquid veri in se continet ales:  
 Scilicet in fictis vera latere solent.  
 Phœnix rara avis est, rarum quid & indicat inde;  
 Secula Phœnicem quæque tulere suum.  
 Græcorum quondam fuit ingeniōsus Homerus  
 Phœnix, Ausoniæ Flaccus, itemque Maro.  
 Gallis Ronsardus, Batavis est Heinsius: omnes  
 Carmisibus Linguis excoluere suas.  
 Teutonia ergo parens alias fœcunda Virorum  
 Doctorum, sterilis ne videatur eis:  
 Martinum Opitium Phœnicem, Slesia, tandem  
 Teutonicæ tandem, tuque Bolesla dabas.  
 Sed car in cineres redigi vult hicce sepultus  
 Dantisci: ut pullis esset in Orbe locus.  
 Tumulus Opitii auctore Elia Majore El. F.  
Quis jaceth hoc tumulo: Martinus Opitius ille.  
 Qui posuit: Charitum Pieridumque dolor.  
Quæ tumulum mulier servas: Germana Poesis.  
 Pectora quid tundis, quid lacerasque genas?  
 Hic mea Lux, mea vita fuit, meus ignis; & isthunc  
 Novi, ceu matrem nosse puella solet.  
Quid pauci, qui te retinent: ne condar iisdem  
 Sedibus, hi faciunt injiciuntque manus.  
Quæ furtim dant verba: minantur se fore junctim.  
 Ante mihi solus quod meus ignis erat.

*F I N I S.*

# Lectori Benevolo.


**Q**uam ante septennium ipse Auctor, nisi præmatura mors hæc  
 & alia ejus consilia turbasset, eruditio orbi communicare la-  
 borabat, Martini Opitii memoriam, eam à manu discipuli  
 nunc accipis, Lector Benevole. Pietas in Præceptorem, ut alia  
 rationum momenta intacta relinquam, suasit, ut curam hanc suscep-  
 rem, quæ si mihi parùm gloria est, quid refert? modò aliis fructuosa  
 sit. Poteram id temporis disputationi coacervanda aut carmini elab-  
 orando impendere, eoque labore, quod communiter evenire solet,  
 nescio quam ingenii gloriam ostentare. Sed malo conscius meæ im-  
 becillitatis, si otii ratio danda est, aliorum feliciores æquè ac condu-  
 cibiliores operas qualicunque industriâ adjuvare, quam misellam  
 scripturientium familiam fœtu minus ingenioso & utilia augere. O-  
 ptâsem ut ultimam manum scriptioni huic imposuisset Auctor: cùm  
 verò inter ipsas omnia sua opera accuratius revidendi cogitationes  
 vitæ usuram deponere jussus fuerit, factum est ut aliis supplendi eu-  
 ram reliquerit. Quam adjutus ope viri, cuius nomen mihi venerabile  
 est, exequi conatus sum, veniam è faciliorem sperans, quo laudabili-  
 us est magnorum virorum cineres colere. Quæ orationi subjuncta  
 sunt, pari gratiâ accipiet Lector, quem valere velim & rem suam ge-  
 rere quam felicissimè.


---

## Index Herorum & Virorum Doctorum, quorum in hoc Panegyrico fit mentio.

<b>A.</b>			
Jacobus Aeneorgius	37.46	Abraham Bibranus	32
Jacobus Arminius	31	Hieronymus Bignonius	32
Jacobus Auratus	61	Joh. Henricus Bocclerus	47
<b>B.</b>			
Caspar Barlaeus	30	Godinus	
Caſpar Barthius	28.47	Nicolaus de Boleslavia	17
Dominicus Baudius	30	Petrus	
Bellajus	61	Brissacus Dux Gallorum	42
Joachimus Bergius	16.17	Georgius Buchananus	42
Matthias Berneggerus	14.29.34.36.44.	Augustus Buchnerus	14.36.44.45
Christophorus Besoldus JC.	47.52.	Daniel Bucretius	24
Gabriel Bethlem Princeps Transyl.	29	Augerius Giselinus Busbequius	34
Theodorus Beza	33	Burghusius	25
		<b>C.</b>	
		Carolus Archidux	38
		Carolus V. Imperat.	48
			Caro-

Carolus IX. Galliae R.	61 Bartholomaeus	Preussius Cess. Thorun.	58
Cepco	62 Paulus	J Hanewaldi 17 Pybrachius	61
Johannes Christianus Dux 54.56	Simon	R.	
Alphonfus Ciacconius Cardina-	Daniel Heinlius	14.30.32.44 Raphael Comes Lesnensis	57
nalis Hisp.	35 Nicolaus Henelius	14.24.44 Reuberus	28
Cirenbergius Consul Gedan.	57 Henricus Dux Sil.	15 Richelius	52
Nicolaus Cisauerus JC.	28 Martinus Hilwigius	18.20 Carolus Ricmius JC.	17
Hippolytus à Collibus	28 Job. ab Hœckelshofen.	23 Nicolaus Rigaltius	44.51
Caspar Conradus	24.33.62 Israel Hoppius Consul Elbin-	Ronsardus	36.60.61
D.	genfis	58 Rosinus	15
Gerhardus Dähnhofer Aulæ Po-	Frid. Hortlederus	47 Marta Rothmäna Opitii Mater	18
Ionica Mareschallus	55.56 Franciscus Hottomannus	51 Rudolphus II. Imp.	19
Petrus Denaisius JC.	28 Tobias Hubnerus	37 Georgius Rudolph, Princ.	26.32
Baro à Dona 38.39.40.41.42.43	I.	Janus Rutgersius	30
45.46.48.52.53.54	Junius K.	48 S.	
Caspar Dornavius E.	25 Casp. Kirchnerus	23.32.37.39.44 Claudio Salmasius	44.51
Daniel Eremita	37 L.	Thomas Samoscius Joh. Fr.	57
Euenius F.	28 Langus	15 Scaliger	30.50.51
Ferdinand 2. Imp.	32.48 Thomas Lansius	29 Schonaichius	25
Paulus Flemmingius	62 Joh. Leunclavius	34 Schwerus	18
Q. Septimius Florens	61 Georg. Michael Lingelshemius	Petrus Scrivarius	25.30
Franciscus I. Gall. R.	48 Consil. Palat.	27.36.47.48.52 Tobias Scultetus de Schwa-	
Marquardus Freherus	32.48	30 nensee	25
Johannes Freinshemius	47 Ambrosius Lobwasserus	58 Henricus	17
Fridericus III. Imperator	17 Logus	15 Jacobus } Senftlebii	17
Fridericus IV. Elector	27 Ludovicus Anhaltinus	37 Valentinus }	21.22
G.	D. Martinus Lutherus	12 Johannes Seusius	37.46
Gandimela	36.58 M.	Sigismund III. Svec. R.	57
Janus Gebhardus	28 Clemens Marottus	58 Sleidanus	29
Salemon	Paulus Melissius	28 Sturmius	48
Jeremias Gesneri	18.20 Paulus Merula	30 T.	
Andreas Geislerus	26.32 M. Antonius Muretus	57 Dan. Tilenus	44.51
Martinus Gerstmannus	16 N.	Francisc. Thuanus Jac. Fr.	51
Sebastianus Gerstmannus	17.18 Nigrinus Theol. Helv.	55.56 Andr. Tscherningius	62
Melchior Heimenfeldius	Gol. Nostitius	38 Turnebus	28
daftus	47 Bernh. Guil. Nüslerus	V.	
Johas Glaserus	47 44.45.63. Q.	Balthasar Venator	28.36.45
Hugo Grotii	Christophorus	21 Vladislavus IV. Rex Pol.	55
Cornelius Grotii	Sebastianus } Opitii	18.21 Joh. Gerhard Vossius	30
Pater 14.34.44.49.50.51.57	P.	Ursiuus	15.23
Filius	51 Gorhofr. Pacius	28 VV.	
Grotia Filia	51 Joh. Phil. Pareus	28.47 Joh. VVeizius	47
Grünradius	27 Pechmarinus	43 Diet. VVerderus	37
Janus Gruterus 26.	27.34.44 Philippus Melanchthon	15 X.	
H.	Pius II. Pontifex Rom.	17 Xylander	28
Henricus Albertus Hamilton Posthonus Poeta & Archiater Pala-	Z.		
Danus	28 tinus	35 Zinggrefius	28.36





n.g.

kart. druk.

